



~~1822. IV. 48.~~

~~Huit volumes~~

GOTFRIDI LENGNICH

HISTORIA POLONA

A

LECHO

IN

ANNVM MDCCXXXXVIII.

EDITIO ALTERA

PRIORE AVCTIOR

ET EMENDATIOR.

GEDANI

TYPIS ET IMPENSIS THOM. JO. SCHREIBERI.

MDCCL.

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
STANISLAO
GENTIS CIOŁEK
PONIATOVIO
PALATINO MASOVIAE
LVBLINENSI ET STRIENSI
PRAEFECTO
AQVILAE ALBAE EQVITI
DOMINO MIHI BENIGNISSIMO

D. D. D.
GOTFRIDVS LENGNICH.



Opusculum, quod Tuis auspiciis susceptum, cujus primas lineas Tuorum causa duxi, Tibi, Excellentissime Palatine, aliquo jure debetur. Cum enim post novissimam urbis nostrae calamitatem, ad Te, ut es facilis & cuivis obvius, pateret aditus, primus fere de studiis, quae Equiti Polono convenirent, sermo, in quibus principem locum historiae patriae, & quod huic jungendum, publico juri vindicabas. Erant Tibi illo tempore filii sex, ex his tres, quorum aetas & indoles jam severiores artes ferebant, quosque ita institui optabas, ut ante omnia patriam suam noscerent, ejus commoda intelligerent, & discendo Reipublicae illi sensim assuescerent, cui aliquando consulturi essent. Credebas, posse Tuam destinationem mea opera effici, & ego, cum frustra modicam meam & longe infra Tuam exspectationem, rerum harum scientiam excusassem, cedebam humanitati Tuae, qua soles & invitos ac repugnantes flectere & impellere. Institui, quod mihi honori duco, filios, qui si Tui non essent, esse mererentur. Dictavi potiora, reliqua voce docui, ex quibus libellus enatus, quem illustri Tuo nomine in fronte

exor-

exornatum, Tibi, Palatine Excellentiſſime, qua par eſt, reverentia offero & exhibeo.

Eſt autem longo uſu receptum, aliquid in eorum laudem, quibus dedicantur ſcripta, dici: & in Te, Domine, multa eminent, quibus larga praedicationi materies praeſternitur. Sunt dignitas, virtutes, facta & bello & toga praeclara, alia, quae non magis populares Tui, quam exteri celebrant: & ego, qui propius Te inſpexi, omnem formam, non corporis, id enim pictorum ſculptorumque opus, ſed mentis, ſuis coloribus deſcribere poſſem. Unum tamen prae ceteris in Te miror & ſuſpicio, ex quo uno nihil fortuna, nihil Regum gratia, nihil hominum favor, nihil temporum opportunitates ſibi aſſerunt, ſed quod vere totum Tuum dici debet. Curam intelligo, qua Tuam ſobolem educas. Sunt de hac re omni aevo multa ſapienter dicta, leguntur praecepta egregia, animo etiam concipimus patres optimos & omnibus ſuis numeris abſolutos; ſed Tu quicquid dictum ſcriptumque, quicquid cogitatione fingimus, factis reddis & refers. Plurimi, imo, & quod vehementer dolendum, parentum maxima pars, tum ſuo officio rite ſe defunctos arbitrantur, ſi liberos ſuſtulerunt, educationem aut fato quaſi permittentes, aut conducentes, qui onus illud ſuſcipiant

ita, ut in iis quos conducunt, mercedis prima habeatur ratio. Quam diversus Tu, qui credis, non esse majus privati in Rempublicam meritum, quam si bonos cives dederit! Hos quidem in Tuis effingis, quos praeceptis erudis, monitionibus excitas, & ostentando praemia, ad honesta tendentibus, veluti calcaria admoves. Eundem in finem magistros, a quibus praecipue, quae in usu habituri, discant, conquiris, munificentia Tua solicitas, & gratiam non tantum habes, sed refers quam liberalissime. Opes enim infra filios ducis, & ideo Tibi obvenisse credis, ut filiorum causa erogentur.

Cum jam tempus esset, ut duo majores, litterarum studia extra Poloniae fines proferrent, ac iis post aliquod intervallum militares artes jungerent, ipse ad exteros deducebas, vitam eorum ordinabas, coram commendabas illis, sub quorum oculis agerent, & qui vel studiis aliquid addere, vel militiam docere possent. Inde Hagam, Cassellas & in Bavariam itinera, non uno tempore suscepta, & circumires terrarum orbem, si quod ex hoc ad filios redundaret commodum. Videris mihi tamen in re familiari parum diligens. Nonne minori impendio filii dimitti potuissent? nonne ita praeceptis

Tuis

Tuis innutriti, ut ipsi suam aetatem regere queant? aut si diffidis indoli, quae tamen praestantissima est, nonne vetustus aliquis domesticus, custos moderatorque suffecisset? Sed frustra Te ad calculos revoco, qui pecunia magno animo, & ut patrem decet, uteris; frustra per obliquum moneo, qui cognitum habes, quam lubrica juventus, quam in hac temporum licentia, & optimi aliorum exemplis saepe transversi agantur, & a Patre omnia longe melius curari, & acutius cerni, quam a fidissimo & multum perspicaci familiari.

Dum autem, Excellentissime Palatine, Germaniam & Belgium, semel ac iterum cum filiis aut filiorum causa peragras, Uxor Tua, in illos quos domi habes, modo Gedani, iam Varsaviae, vicariam operam confert. Haec enim, supra sexum suum virilis animi & curarum, id verum foecunditatis suae pretium habet, non qualescunque, sed quam optimos patriae suae cives reliquisse. Digna ergo, quae Tecum, Domine, communis educationis fructum ferat uberrimum. Haec votorum meorum summa, in quo Te imitor, qui Tui immemor, ea in solam sobolem congerere soles, filiisque precari: ut Regi, ut patriae adolescant; Regem

colant, patriam ament; vitam, corpus, fortunas, omnia, Rege & patria posteriora habeant; ac praemia mereantur, quae Augusti III. indulgentia, bonos omnes, tanquam debita, tanquam sua, exspectare jubet. Habes, Palatine Excellentissime, in illa domo cui per matrimonium junctus es, conspicuum exemplum. Socer Tuus, Princeps Czartoryscius, Vilnensis Castellanus, tot circum se videt Senatores, quot eduxit filios, & Senatores videret plures, si plures filios eduxisset. Contingat Tibi eadem felicitas; censeant aliquando Tecum in eodem ordine de republica filii, qui ut possint ex dignitate censere, omni ope eniteris & contendis. Quanto non gaudio tum exsultaret Pater ille Senatorius, qui nepotes suos, Poniatovios, veluti Parens alter, fovet & complectitur!

Sed unde orsus, in eo sermonem finio. Libellum, Domine, illustri Tuo nomini inscripsi, quem nisi Tu, nisi filiorum pater esses, vix composuissem. Si in hoc simplicius, quam cum magno Regni Senatore convenit, egisse aliis videor, sciant velim, me id debere Tuae moderationi & humanitati, quae Tecum non cum Tua fortuna loqui me docuerunt.

PRAE-

PRAEFATIO
PRIORIS EDITIONIS.

Cum ante tres, & quod excurrit, annos, Poniatoviis Comitibus, Palatini Maſoviae filiis, hiſtoriam Polonam traderem, brevis rerum geſtarum ſeries dictanda erat, quae voce uberius exponeretur. Hanc, quando vacabat, retractavi, addendo plurima, ut opuſculum, ad primam ſui formam deſcriptum, faciem longe diverſam habeat. Non tamen, quicquid illud eſt, mihi, ut in ſchedis ſervarem, compoſui, ſed ut communicarem cum aliis, & iis aliquo modo prodeſſem, qui credunt ſua referre, paullo accuratius noſſe, quae omni aevo digna memoratu in patria ſua contigerint. Haud quidem deſtituuntur noſtrates compendiis, latina, polona, germanica, gallica lingua ſcriptis; ſunt enim Paſtorii, Koludzii, Lauterbachii, Masſueti & aliorum libelli in manibus: ſed num illi partes ſuas rite impleverint, lectorum ſit judicium. Ego enim illis, ſive arguendo, ſive laudando, immorari nolo; potius quid a me praeſtitum ſit, paucis ediſſeram, ſi in tranſitu de Masſueto monuero, eum

primo

primo tomo, hiſtoriam Polonam, quae gallice a 1698 ſine auctoris nomine Amſtelaedami prodiit, exſcripſiſſe.

Totam gentis hiſtoriam, a Lecho ad Auguſti II. mortem, modico volumine complexus, antiquiſſima breviſſime, quae ſecuta fuſius memoravi, ut cum annis narratio creſceret, & quo propius noſtram aetatem res geſtae tangerent, eo ampliore ambitu exponerentur. Inde libelli in duas partes diviſio, quarum prior anno 1572 finit, poſterior reliquum ſpatium continet: Et quamvis in illa tantum delibavi, quae evenerunt, non tamen omiſi, quae memoria digna videbantur, ut in hac taedium vitavi, praeliorum, obſidionum, ac publicarum conſultationum longis & verboſis expoſitionibus abſtinens. Extraordinaria iſta, quae miraculorum habent ſpeciem, & quibus prima regni noſtri aetas foecunda, omiſi: cum in Dlugoſſo, & iis, qui ex Dlugoſſo repetunt, legi poſſint. Majorem temporis curam habui, ſingula ad ſuos annos revocans, ut factis conſtaret ordo, & veritas hoc etiam argumento firmaretur. Nihil

hil ex meo ingenio confinxi, neque cujusvis ſcriptoris auctoritatem ſecutus, ſed viros graves & quorum integritas in dubium vocari nequit, potiores teſtes admiſi. Scio tamen & probos citra voluntatem, inductos ab aliis, ſaepe labi, & inter illos ipſos eſſe diſſenſionem. Ubi ergo ſententiae non congruebant, judicem egi, alios cum aliis cnmponens, praetulique eos, pro quibus major erat ratio. Neminem ſola patria inteſtabilem reddidit, ut domeſticis tantum locus eſſet. Auditi praeter Polonos exteri, & cum in vetuſtiſſimis verſarer, his prae illis aſſenſi. Novi enim Germanos Polonos aetate praecedere, & illos iis quae ſaeculis X. XI. & XII. acciderunt, potuiſſe intereſſe, aut ab his qui interfuerunt, accipere, noſtratium autem nullum, de quo idem praedicari queat, niſi quod Kadlubko antiquiſſimus, partem decimi tertii ſaeculi transegerit, anno 1223 vita functus. Liberum tamen aliis, fidem ſolis indigenis habere, ſi mihi partium ſtudio vacuum eſſe liceat. Ceterum magno fuerunt uſui ſcriptores Sileſiaci Sommersbergii, potiſſimum ob Bogupha-

guphalum & anonymum Archidiaconum Gnesnensem insertos, & publice amplissimo Editori gratias ago, quod patriae suae res illustrando, simul praeclare de Polonis mereri voluerit. Ab anno 1526 usque ad Joannis Casimiri abdicationem, fere perpetuo Prussiae historiam a me scriptam, cum aliis citavi, quod jactantia & ostentatione factum non est. Absum ab illa vanitate, in homine qui ingenuas artes colit haud ferenda. Sed erat necesse historiae Prussicae inter testes locum dare, quod tota fere ex Gedanensi tabulario depromta, & ex monumentis, quae non sunt in manibus, contexta. Accedebat, quod, cum domesticorum scriptorum apud exteros magna penuria est, nostram historiam, quae ante paucos annos prodiit, frequentiorem fore crederem, ut aliorum inopiam quodammodo levare posset. Acta publica, foedera, statuta, constitutiones negligere, temerarium duxi: constat enim inter omnes, quanta iis insit vis & auctoritas. Ad quorum fidem provocavi, non vidi saltem, sed legi, sed expendi, & in lectorum commodum paginas apposui; tum in fine libri omnium scriptorum, quibus usus, indicem exhibui, ne ignoraretur,

raretur, quando, ubi, qua lingua prodierint, & quam editionem, ſi plures, adhibuerim.

In enarrandis rebus geſtis, ſolam veritatem normam habui, ira & ſtudio longe amotis. Occurrunt egregie & ſecus facta, clades, fugae, victoriae, populationes, diſcordia, turbae inteſtinae, bella civilia, alia, quae tum virtutibus, tum vitiis, tum ſecundis, tum adverſis annumerari ſolent. Neque aliter ob rerum humanarum vices, & varia hominum ingenia fieri poteſt, facili etiam ad diſſenſiones, & quae ex his domeſtica mala occaſione, ubi non unus imperat, & ceteri parent, ſed potior populi pars, de publica re libere cenſet, nec, niſi quas uno animo & voce ſanxit, leges accipit. Ipſi, qui regno noſtro praefuerunt, Principes, ad poſteritatis ſiſtuntur iudicium, integrum ſemper & incorruptum, cui refragari nefas putavi.

Diſſertationem de Polonorum majoribus, ante hos octo annos editam, jam typis repetitam, ſimul addidi, ut lector gentis originem & initia noſceret, quantum per conjecturas licet, quando certis teſtibus deſtituimur.

Scrib. Gedani d. xx Junii MDCCXXXX.

NOVAE

NOVAE EDITIONIS

PRAEFATIO.

Historiam Polonam Lipſiae ante annos decem editam, Gedani repeti curavi, ut menda typographica, quibus illa prior referta eſt, tollerem, & novum de Auguſto III. caput adjicerem. Caetera manſerunt intacta, niſi quod unum alterumque vocabulum, quando commodius ſuccurrebat, mutarem, & citatos auctores paragraphis inſertos, ſub illis ſeorſum locarem: regnum vero Auguſti III. ideo expoſui, ut ſeries narrationis praeſentia tempora quam proxime attingeret. Prodierunt a. 1739 Pariſiis *Amandi de Capella* commentarii hiſtoriae Polonae inſervientes, quibus interregnum poſt Auguſtum II. & quae interregnum ſecuta deſcribuntur, tanto tamen partium ſtudio, ut rerum illarum ignari facile falli queant, ne dicam regiones, oppida, homines, integros exercitus, victorias, clades, & alia commemorari, quae vel ipſius auctoris, vel eorum quos ſecutus auctor ingenio debentur.

bentur. Pro his vera tradere potui, cum multorum conſcius, nonnullis ipſe interfuerim & quae poſtquam geſta accepi, ab illis acceperim, quibus fides habenda eſt. Neminem *Fama Europaea* in teſtimonium nonnunquam citata offendat, nam praeter quod liber iſte non ita vanus eſt, ut inter teſtes idoneos locum habere nequeat, ad acta publica, quae in eo leguntur, & ad conſultationum commentarios, qui cum ſcriptore communicati ſunt, plerumque provocavi, reliqua autem cum iis, quae mihi in manibus, bene conveniunt. Prioris editionis cum dedicatio, tum praefatio iterata eſt, ut nomen *Patroni*, cui multa debeo, cuiusque memoria dum vivam animo non excidet, in fronte libelli ſedem ſtabilem habeat & perpetuam: praefationem vero ideo non ſupervacaneam exiſtimo, quod primam opuſculi occaſionem, ac modum quo compoſitum eſt, deſcribit. Tres erant PONIATOVII fratres, quorum cauſa primas hiſtoriae lineas duxi, & qui ut patriae nati, ita patriae adoleſcebant, quorum duo minores, in ipſo aetatis flore exſtincti ſunt, antequam fructum patria caperet.

peret. Alter enim, cui Alexandri nomen, dum voluntarius in Regis Galliae exercitu, Iperam, a. 1744 obſidente, militat, ex vulnere obit; tertius autem Franciſcus, ſacri ordinis, *Praepoſituram* S. Michaëlis Cracoviae aditurus, a. 1749 moritur. Maximus natu Caſimirus, eorum qui Regis a cubiculo princeps, Regni Camerarium vocant, & aquilae albae Eques, poſt maxima quibus caput interritus objecit diſcrimina, ſingulari Dei munere, Regi & Reipublicae ſervatus, ſuperſtes eſt. His te lector dimitto, plura non additurus, cum quae monui, praefationi repetitae editionis ſufficiant.

Gedani d. XI Aprilis.
MDCCL.





BREVIS HISTORIAE POLONAE A LECHO AD MORTEM SIGISMVNDI AVGVSTI TRACTATIO.

§. I.



Lechus auctor gentis ac regni Poloni vulgo perhibetur, cujus adventus, in saeculum VI. post Christum natum, ab aliis ad VII. referri solet (*). LECHVS.

(*) DLVGOSSVS L. I. p. 7. CROMERVS L. I. p. 17. & alii. Add. *Dissertatio* nostra *de Polonorum majoribus* §. 9. 10.

§. II. Quae de illo ejusque ſucceſſoribus ad Piaſtum usque & ultra memorantur, ſunt obſcura, fabuloſa & falſa, quare ſilentio transmittimus, ne vanis narrationibus immoremur.

PIASTVS. §. III. De Piaſto, qui anno circiter 840. ex agricola gentis Princeps, non ſine miraculis creatus dicitur, ideo potiſſimum mentio facienda, quod ſtirps ejus multis ſaeculis in Polonia & Sileſia floruit, quodque ab eo Piaſti vocantur, qui ex indigenis in regium faſtigium evehuntur.

MIECISLAUS I. §. IV. Miecislaus I. quartus a Piaſto, ejusque abnepos, a. 964. regimen ingreſſus dicitur (*). Caecus natus, anno aetatis ſeptimo repente viſum recepit (**). Hoc tamen illuſtrior, quod primus Principum Poloniae, ſacra Chriſtianorum amplexus, eademque genti ſuae perſuaſit (***). Primus pariter, quem Germani ſcriptores memorant, a quibus cliens fiduciarius Caeſaris fuiſſe dicitur (****). Obiit anno 992 (†). Domeſtici ſcriptores mortem ad 999. proferunt, ex quibus KADLVBKO vetuſtiſſimus, ante S. Adalberti adventum deceſſiſſe, affirmat (††).

(*) DLVGOSS. I. 89.

(**) KADLVB. L. II. ep. 10. DLVGOSS. I. 87.

(***) KADL. l. c. DLVGOS. I. 93. DITMARVS MERSEB.

MERSEB. T. I. *Scriptor. rer. Brunsv.* LEIBNITII p. 359. *Differt. nostra de relig. christ. in Polonia initiis.*

(****) WITICHINDUS CORBEIENSIS T. I. *Script. rer. germ.* MEIBOMII p. 660. DITMAR. MERSEB. p. 337.

(†) DITMAR. MERSEB. p. 360. ANNALISTA SAXO T. I. *Còrp. hist. medii aevi* ECCARDI p. 353.

(††) Lib. II. ep. 11.

§. V. Successit Boleslaus I. quem Miecislao uxor Dambrovca Bohema pepererat (*). Hic bellator strenuus simul callidissimus, non unam cladem Germanis, Bohemis, Russis, Prussis intulit (**). Sub hoc S. Albertus a Prussis nondum Christianis a. 996. trucidatus (***); cujus corpus veneraturus, Gnesnam, quo redemtum a Boleslao translatum fuerat, Otto III. a. 1000. venit (†). Eodem tempore archiepiscopatus Gnesnensis & episcopatus Cracoviensis cum aliis instituti (††). Boleslaus autem paulo ante obitum, qui in annum 1025. incidit, Regiam dignitatem sibi vindicavit (†††). BOLESLAUS I.

(*) DITMAR. MERS. p. 359.

(**) DITMAR. MERS. p. 366. 370. 371. 375. 378. 379. 394. 397. 405. 415. 426. KADL. II. 13. DLUG. II. 138. s.

(***) DITMAR. MERS. p. 353. CHRON. QUEDLINB. ad a. 996. T. II. *Script. Brunsv.* LEIB-

NITII p. 283. ANN. SAXO p. 363. COSMAS PRAGENS. T. I. *Script. rer. Germ.* MENKENII p. 2001.

(†) DITM. MERS. p. 353. 357. ANNAL. HILDES. T. I. *Script. rer. Brunsv.* LEIBNITII p. 721. KADL. II. 11.

(††) DITM. MERS. p. 357. CHRON. VETVS *inter Script. rer. Siles.* SOMMERSBERGII T. I. p. 17. *Dissert. nostra de relig. Christ. in Pol. initiis* §. 12. s.

(†††) WIPPO *in vita Conr. Salici* T. III. PISTORII *Script. rer. Germ.* p. 470. ANNAL. QVEDL. ad a. 1025. OTTO FRISING. Chron. L. VI. c. 28. *in script. rer. Germ.* VRSTISII.

MIECISLAVS II.

§. VI. Miecislaus II. Boleslai filius, Regium titulum, quem pater sumserat, retinuit (*). Bella vario marte, plerumque tamen adverso, gessisse fertur (**). Anno 1029. Caesar in eum movit, sequenti autem ipse, facta irruptione, omnia inter Salam & Albim ferro & incendio vastavit. Dein a Caesare superatus pacem obtinuit (***). Mox frater Otto in eum insurgens, in Bohemiam fugere coëgit, unde fratre sublato redux, conciliata sibi Caesaris gratia, Poloniae iterum praefuit (†). Uxor ipsi erat Richeza, Caesaris Ottonis II. per matrem neptis, quae ob discors matrimonium, cum filio Casimiro in Germaniam fugit (††). Miecislaus II. an. 1034. mortuus est (†††).

(*) OTTO

(*) OTTO FRISING. VI. 28. ANNALISTA SAXO p. 457. WIPPO l. c.

(**) DLVGOS. II. 182. ſ.

(***) CHRONOG. SAXO *in Acceſſ. hiſtor.* LEIBNITII p. 241. 243.

(†) CHRONOG. SAXO p. 234. OTTO FRISING. l. c. ANNAL. SAXO p. 462.

(††) MONACHVS BRVNVILLERENSIS T. I. *Script. Brunsv.* LEIBNITII p. 320.

(†††) CHRONOG. SAXO p. 244. DLVG. L. II. 188.

§. VII. Excepit Miecislaum II. abſente Caſimiro, filio unico, interregnum, quo finitimae gentes Poloniam igne & caedibus late vaſtarunt (*). Simul Maſovia defecit, ac Sileſia a Bohemis erepta (**). Revocatus Caſimirus, qui interea inſtituta S. Benedicti in monaſterio Cluniacenſi profeſſus, Papa conſentiente regimen ſuſcepit (***), ac Maſoviam Sileſiamque recuperavit (†). Obiit 1058. CASIMIRVS I.

(*) KADL. II. 15. DLVG. II. 195. ſ.

(**) DLVG. p. 194. 204. 222. COSM. PRAG. p. 2029.

(***) DLVG. III. p. 205.

(†) KADL. l. c. DLVG. p. 220. 222. COSM. PRAG. l. c.

BOLESLAVS II. §. VIII. Boleslaus II. ſive ob animi magnitudinem, ſive ob ferociam, audax dictus, Caſimiri filius natu major, & ſucceſſor. Res ejus adverſus Ruſſos, Hungaros, Bohemos, Pruſſos & Pomeranos, non minus feliciter, quam fortiter geſtas, magnifice celebrant ſcriptores domeſtici (*). Ab exteris arguitur, quod a. 1077. in Caeſarem inſurrexerit, ac ipſo die natali Chriſti, in contemtum Imperii Germanici Regem ſe inaugurari iuſſerit (**). Poſtea Boleslaus immanem ſaevitiam exercuit, ac Stanislaum, Cracovienſem Epiſcopum, cujus monita impatienter ferebat, ad altare ſua manu a. 1079. obtruncavit. Mox conſcientia exagitatus ac ſuis inviſus, in Hungariam abiit, ubi ſibi mortem intuliſſe dicitur. Filius unicus, Miecislaus, in ipſo aetatis flore extinctus eſt (***). Cum Boleslao II. titulum Regium, qui in Boleslao I. coeperit, deſiiſſe, & a Premislao circa finem ſaeculi XIII. redditum, communis fere eſt opinio.

(*) KADL. II. 17. 19. DLVG. III. 252. ſ.

(**) LAMB. SCHAFFNAB. T. I. *ſcript. Germ.* PISTORII p. 417. MONACH. HERVELD. T. I. *ſcript. Germ.* SCHARDII p. 436. BERTOLD. CONSTANT. P. I. *ſcriptor.* VRSTISII p. 347.

(***) KADL. II. 21. BOGVPHALVS T. II. *ſcript. Sileſ.*

Silef. SOMMERSBERGII p. 28. DLVG. III. 275. f.

§. IX. Vladislaus I. cui & Hermanni nomen, poft Boleslaum fratrem Poloniam tenuit, Henrico IV. Caefare, titulum Regis Poloniae Vratislao novo Regi Bohemiae an. 1086. fruftra conferente (*). Bellum ipfi cum hujus filio Bretislao, quod mutuis vaftationibus geftum, a. 1093. per pacem defiit, pacto antiquo de Silefia repetito (**). Adverfus Pruffos & Pomeranos feliciter pugnavit, ac filium ex pellice Sbigneum, arma inferentem, profligatum cepit: inter quem & filium unicum, ex legitimo matrimonio natum, Boleslaum, divifis Poloniae terris, a. 1102. moritur (***). VLADISLAVS I.

(*) COSMAS PRAG. p. 2057. 2060. ANNALISTA SAXO p. 568.

(**) COSMAS PRAG. p. 2074. DLVG. IV. 324.

(***) DLVG. IV. 321. f. COSMAS PRAG. p. 2086. ANNAL. SAXO p. 600.

§. X. Boleslaus III. ex contorto ore *Krzywoufty*, Sbigneum, propter turbas & concitatos in bellum Bohemos Pomeranosque, exilio multavit (*). In gratiam Colomanni Regis Hungariae foederati, Bohemiam Principe Sventopelcone abfente, a. 1108. invafit, quo hofte hoc BOLESLAVS III.

Colomannum liberaret, ipſe viciſſim, non tamen impune, a Pomeranis petitus (**). Gravior ex Germania imminebat tempeſtas, cum a. 1109. in conventu Francofurtenſi, adverſus Polonos bellum decerneretur (†): quo facto menſe Septembri Henricus V. Caeſar, cui Sventopelco cum Bohemis aderat, Sileſiam ingreſſus, Glogoviam obſidebat, oppidanis autem fortiter reſiſtentibus, obſidionem ſolvere cogebatur, Sventopelcone antea a percuſſore ex inſidiis interemto (††). Sequebatur praelium prope Wratislaviam & Germanorum clades, cujus memoriam caninus campus ſervat, nomine ex canibus indito, quos foetor cadaverum undique exciverat (†††). Sed vetus chronicon (††††), Caeſarem victorem, Boleslaum fraude captum & campum caninum dictum affirmat, quod Poloni propter ſtragem & Principis ſui captivitatem, Germanos per iracundiam canes appellaſſent. Victoriam pax ex Caeſaris dignitate (*†), nec Polonis indecora ſecuta (*††). Mox arma Boleslaus in Bohemiam vertebat, cauſam Sobeslai, cui cum fratre Vladislao de ſucceſſione lis, tuiturus, unde poſt caedes & populationem redux, a. 1111. inter fratres pax componebatur. Novis ortis diſſidiis, partes reconciliatoris ſuſcipiebat a. 1115. Boleslaus, ac ipſe

cum

cum Vladislao & fratribus, habito ad amnem Nissam colloquio, novum fœdus sanciebat (*). Postea Sbigneus, frater ex pellice, fide publica in Poloniam reversus, interimitur, Prussi autem, Pomerani, & Russi, cladibus franguntur, hoc tamen Pomeranorum commodo, quod inde auctoritate Boleslai, & pia S. Ottonis, Episcopi Bambergensis, opera, Christiana religione imbuti (**). Cum Bohemis iterum bellum, quod mutuis incursionibus gestum, a. 1135. Lothario Caesare conciliatore, Merseburgi compositum. (***) Sequenti anno, Vislicia a Russis proditione capta & direpta, quam injuriam ferro & igne Boleslaus late vindicavit; postea tamen male pugnatum, adeo ut exercitu profligato ipse vix evaderet (†*). Non diu huic cladi supervivens a. 1138. mortuus est (†**), cum provincias inter quatuor filios divisisset, Casimiro, qui natu minimus, omisso. Et quidem Vladislaus maximus, Cracoviam, Siradiam, Lenciciam, Silesiam ac praecipuas regiminis partes; Boleslaus Masoviam; Miecislaus Poloniam majorem; & Henricus Sendomiriam Lublinumque recipiebat (†***): simul sanciebatur in posteros, ut tractus Cracoviensis cum urbe, semper penes domus seniorem esset, isque inter reliquos Duces potestate emineret (†****).

 (*) cos-

(*) COSMAS PRAG. p. 2086. KADL. II. 29. 31. DLVG. IV. 366. ſ.

(**) COSM. PRAG. p. 2093. KADL. III. 5. DLVG. IV. 373. ſ.

(†) MVTIVS T. II. *Script.* PISTORII p. 758.

(††) COSM. PRAG. p. 2098. ANNAL. SAXO p. 622. 623.

(†††) KADL. III. 19. DLVG. IV. 385.

(††††) T. I. p. 6. *Script. Sileſ.* SOMMERSBERGII.

(*†) MVTIVS p. 758.

(*††) DLVG. IV. 388.

(*) COSM. PRAG. 2105. 2110. 2111. DLVG. IV. 398. 399. 405.

(**) DLVG. IV. 394. ſ. 407. 410. 414. 418. ANONYMI *vita S. Ottonis Bamb.* L. II. & III. LVDEV. *vol. nov. Script. Germ.* T. I. p. 648. ſ. ANDREAE *vita S. Ottonis* apud LVDEV. l. c. p. 460. ſ.

(***) ANNAL. BOSOVIENSES T. I. *Script.* ECCARDI p. 1011. DLVG. IV. 434. ſ. 447.

(†*) KADL. III. 23. 25. 27. DLVG. IV. 440. ſ.

(†**) BOGVPHALVS T. II. *Scriptor. Sileſ.* SOMMERSB. p. 41. CHRONOG. SAXO *Acceſſ. hiſtor.* LEIBNITII p. 294. ANNAL. SAXO p. 681. CHRON. MONTIS SERENI ad an. 1138.

(†***) DLVG. IV. 450.

(†****) KADL. III. 27. p. 733. EPISTOLAE INNOCENTII III. T. II. p. 453.

§. XI.

§. XI. Vladislaus II. dum fratres paterna haereditate exuere armis nititur, & Posnaniam obsidet, profligatur. Pax componitur, quam rumpit Vladislaus, & post mutuas clades, pulsus Polonia, in Germaniam ad Conradum III. Caesarem, affinem suum, fugere cogitur: quo ipsum uxor Adelheidis, Imperatoris Henrici IV. filia, cum prole secuta est. (*). Caesar Vladislaum restituturus, contractum exercitum a. 1146. in Poloniam movet, quam insessis itineribus ingredi prohibetur. Deducitur res ad colloquium, & fratribus tota Polonia permittitur, Vladislao nihil obtinente (**). VLADISLAVS II.

(*) CHRON. SAXO p. 297. 298. KADL. III. 29.
(**) CHRON. SAXO p. 298.

§. XII. Boleslao IV. cui a coma, crispi cognomen, quod inter fratres aetate prior, Cracovia cum praecipuo imperio obvenit. Hic a. 1148. Prussiam male habuit (*), in Friderico I. Caesare gravem hostem expertus, qui cum praeter alia, Vladislao exuli provincias paternas reddi frustra postulasset, a. 1157. transmisso Viadro, in tractu Posnaniensi omnia ferro & igne vastavit. Venit ergo Boleslaus fide publica in Caesaris castra, prope Crusvicum, ubi pax cum aliis tum hac conditione convenit, ut de causa Vladislai, BOLESLAVS IV.

lecti

lecti ex Polonis & Bohemis arbitri Magdeburgi cognoſcerent, ibique praeſens Boleslaus, eorum decreto ſtaret. Verum hic neque Magdeburgi conſtituto die adfuit, neque caetera quae promiſerat, implevit (**). Vladislaus Boleslai frater, Poloniam repetiturus, a. 1159. in itinere obit, eiusque filiis Sileſia redditur (***). Cum Pruſſis iterum bellum, quo Poloni profligantur, quodque mors Boleslai a. 1173. excipit, filio Leſcone, Maſoviae haerede, relicto (†).

(*) CHRON. SAXO p. 299.

(**) RADEVICVS *de geſtis Frider. Imperat.* Lib. I. c. 3-5. VRSTISII *ſcript. rer. Germ.* T. I. p. 478. DLVG. V. 494. ſ.

(***) KADL. III. 31. DLVG. V. 497.

(†) KADL. III. 13. DLVG. V. 509. ſ. 521.

MIECISLAVS III.

§. XIII. Succedit in Cracovienſem tractum Miecislaus III. majoris Poloniae Princeps, & ſtirpis Boleslai III. ſenior. A quo ob durum imperium Cracovienſes ad Caſimirum fratrem minimum, cui Sendomiria & Lublinum ab Henrici morte parebant, deficiunt, quorum exemplum major Polonia ſequitur (*). Hanc tamen, favente clam Caſimiro, Miecislaus recuperat, cum Caeſaris auxilium fruſtra ſperaſſet, Caſimiro contra, Leſcone defuncto,

CASIMIRVS II.

ſuncto, Maſovia teſtamento obvenit (**). Bello in Ruſſia feliciter geſto, arma in Regem Hungariae vertit, & poſt mutuas incurſiones, primum induciae, deinde a. 1193. pax componitur. Antea vero, dum ob controverſias de finibus in Ruſſia abſens, deſciſcunt Cracovienſes, ac Miecislaum ex majore Polonia arceſſunt, ſola urbis arce in fide permanente. Advolat Caſimirus & ſtatim recipit Cracovienſem tractum, Miecislao Poſnaniam reverſo. Reſtituitur inter fratres concordia, flectitque animum Miecislaus in familiaritatem, cum Caſimirus captivos liberaliter habitos ſalvos dimiſiſſet, ac ſuis perfidiam condonaſſet. Poſtea Pruſſos debellatos, ad obſides & tributa adigit, reduxque in Poloniam, inter epulas non ſine veneni ſuſpicione a. 1194. ſubito extinguitur, duos filios impuberes, Leſconem & Conradum, relinquens (***). Aequitatis ſtudium, ipſi cognomen iuſti impoſuit.

(*) KADL. IV. 2-7. DLVG. VI. 523. ſ.

(**) KADL. IV. 12. 13. DLVG. VI. 546. 555.

(***) KADL. IV. 16-19. DLVG. VI. 559. ſ.

§. XIV. Poſt Caſimirum, Leſco omnibus Boleslai III. poſteris praelatus, tractum Cracovienſem obtinuit, praeter quem Sendomiriam & Lublinum, frater LESCO I.

vero

vero Conradus Masoviam jure haereditario accepit. Sed Miecislaus, §pho praecedenti memoratus, haud ferens, sui a Cracoviensibus nullam esse rationem habitam, armis de principatu contendere statuit: quo ad Morgavam a. 1195. profligato, manserunt in ditione Lesconis Cracovienses, rempublicam, quod Princeps aetate minor, Episcopo, Palatino ac aliis curantibus, tutela matri concessa. Haec pactione illecta, filio persuadet, Cracovia Miecislao sponte cedere, qua rursus pellitur, dum promissa non praestat, sed novis conditionibus iterum potitur, quas haud implens, a. 1202. Cracoviae & majoris Poloniae Princeps moritur (*).

(*) KADL. IV. 21-25. DLVG. VI. 569-588.

§. XV. Lesconi, cui Sendomiria & Lublinum sufficiebant, post Miecislai mortem Cracovia offerebatur, quam ob adjectam conditionem recusabat. Successit ergo Miecislao Vladislaus filius, populi studiis arcessitus & Lesconis consensu probatus. Parum autem diuturnum fuit imperium, Cracovia a. 1205. ad Lesconem redeunte, qui eodem fere tempore Russos ad Zavichostum prope Vistulam profligavit, sed cum adversus eos Hungaris auxilia misisset, non modicam cladem passus, quam a. 1212. memorabili victoria rependit.

X

pendit. Antea Pomeraniae partem, quae hodie Pomerellia vocatur, in fidem recepit, ac ei Sventopelconem praefectum imposuit. Contra hunc, quod tributa sibi servaret, ac Pomeraniam suae dominationi vindicare vellet, Lesco conventum Gansavae a. 1227. habuit, cui Henricus barbatus, Vratislaviae Dux, interfuit. Adest ex improviso cum armatorum manu Sventopelco, & fugiens Lesco interimitur, Henricus vero in balneo graviter vulneratur (*). Per ea tempora Prussi, Culmam, Cujaviam & Masoviam, populationibus fere assiduis, graviter vexarunt, ut Dux Conradus cognatorum Principum auxilia imploraret, cruce signatis, qui in eos, tanquam Christiani nominis hostes, militaturi. Sed cum ne sic quidem illorum ferocia reprimeretur, evocati equites ordinis Teutonici, cui a S. Maria nomen, & vulgo Crucigerorum dicitur, ut limites tuerentur, terra Culmensi ipsis primum in annos viginti, postea in perpetuum, ac omnibus, quaecunque in reliqua Prussia occupaturi, a. 1230. concessis (**).

(*) KADL. IV. 26. BOGVPH. T. II. *script. Siles.* SOMMERSB. p. 56. 57. DLVG. VI. 590. 637.

(**) BOGVPH. p. 59. LEIBNITII *codex diplom. in prodrono* p. 7.

§. XVI. Trucidato Lescone, unicus super- HENRICVS I.

ſupererat filius, Boleslaus, pupillus, de cujus tutela & principatu Cracovienſi, Conradus Maſoviae, & Henricus Vratislaviae, Duces, praeliis certabant. Victor Henricus, ſed dolo captus a Conrado, in libertatis pretium utroque cedebat. Sed Conradus Boleslaum, quo ejus regionibus potiretur, in cuſtodia cum matre detinebat, qui cum evaſiſſet, Sendomiriam & Lublinum Henrici auxilio recuperabat, Henrico, ad quem interea major Polonia defecerat, Cracoviam, quod inter Boleslai III. poſteros aetate maximus, retinente (*). Huic a. 1238. mortuo, ſucceſſit Henricus filius, qui in praelio adverſus Tattaros prope Lignitium in Sileſia a. 1241. fortiter pugnans cecidit, cum Barbari per Poloniam & Sileſiam, omnia igne ac ferro miſere vaſtantes, copiis fere innumeris in Hungariam ſe infunderent (**).

HENRICUS II.

(*) BOGUPHALUS p. 58. 59. DLUG. VI. 638-658.

(**) BOGUPHAL. p. 60.

BOLESLAUS V.

§. XVII. Poſt caedem Henrici II. Boleslao, Leſconis filio, propter Tattaros in Hungaria abſente, Conradus Maſoviae Dux, Cracoviam, Sendomiriam & Lublinum occupat, ac amittit, a Boleslao, qui redierat, profligatus. Ita Boleslaus inter Principes hujus nominis quintus, recuperavit,

ravit, quae parens olim possederat, & quibus in a. 1279. quo mortuus, praefuit. Hic a memorato Conrado, qui Lituanos in auxilium exciverat, ad Jaroszyn fusus; Tattaris iterum irrumpentibus, in Hungariam abiit; reversus Jaczvingas, gentem feram, pene excidit, ac reliquias ad Christianam religionem compulit; Russos magna clade fregit; & orbus Lesconem, ex Ducibus Masoviae, filium & successorem adoptavit: ipse ob illibatam uxoris virginitatem, pudicus dici promeruit (*).

(*) DLVG. VII. 686. s.

§. XVIII. Erat Lesco II. Casimiri filius, Conradi I. Masoviae Ducis, qui Lesconis I. frater & Casimiri justi filius, nepos, cui aemulus Conradus II. dicti Conradi I. ex Siemovito, filio majori, nepos, justo praelio superatus cedere cogebatur (*). Hic Lituanos qui Lublinensem terram vastaverant a. 1282. non sine miraculo, insigni clade multavit, & cum sequenti anno in Sendomiriam irrupissent, iterum profligavit. Postea arma in Conradum II. vertit & Masoviam male habuit, ipse vicissim a Tattaris, quasi alienas clades ulturis, in Hungariam fugere compulsus. Redux novum exercitum in Masoviam immittebat, qui praeda onustus caedebatur. LESCO II.

Nec diu ſuperfuit Leſco a. 1289. mortuus.

(*) ANON. *Archidiac. Gneſn.* T. II. *ſcript. Sileſ.* SOMMERSB. p. 95. DLVG. VII. 837.

§. XIX. Nulla ex Leſcone ſobole, Cracovienſes cum Sendomirienſibus & Lublinenſibus, Boleslaum, Conradi Ducis Maſoviae, qui cum Leſcone certaverat, fratrem, Dominum recipiunt. A quo pars Cracovienſium deficiens, arceſſito Henrico IV. Duci Vratislavienſi, urbem cum arce tradit, ſed repetentem Vratislaviam, in itinere ad oppidum Szievior, Boleslaus & Vladislaus, locticus dictus, Leſconis II. frater, caedunt, Vratislaviae autem in languorem, non ſine veneni ſuſpicione incidens, a. 1290. extinguitur, Premislao, majoris Poloniae Duce, haerede Cracoviae ſcripto (*).

(*) ANON. *Archid. Gneſn.* p. 95. DLVG. VII. 851. ſ.

VENCESLAVS.

§. XX. Tenebat memoratus Vladislaus, a brevi ſtatura locticus, ſeu cubitalis dictus, Sendomiriam, Lublinum & Siradiam. Premislaus Cracovia, Venceslao Regi Bohemiae cedebat, dum vero ille Cracoviam ſanguinis jure, hic eas regiones, quas Duces Cracovienſes ſimul tenuerant, poſtulabat, bellum vario marte geſtum

ſtum oriebatur (*). Premislaus contra majoris Poloniae Princeps, partem Pomeraniae, cui Pomerelliae vocabulum, ſine armis obtinuit, a Meſtvino, cui nulli liberi, a. 1295. defuncto, ſucceſſor deſignatus (**): qui illo anno, titulo Regio recepto, a Gneſnenſi Archiepiſcopo, Poſnanienſi, Vladislavienſi & Cracovienſi Epiſcopis praeſentibus, Gneſnae unctus & diademate ornatus (***). Hic, ſive invidia novae dignitatis, ſive in vindictam Luccardis prioris conjugis, quam adulterii ſuſpectam jugulari juſſerat, immiſſis a Marchionibus Brandenburgicis clam militibus, menſe Februario ex oppido Rogoſnenſi multis vulneribus ſaucius abductus & in via trucidatus eſt (†). PREMISLAVS.

(*) ANON. *Archid. Gneſn.* p. 95. DLVG. VII. 858. ſ.

(**) SCHVTZII *Chron. Pruſſ.* f. 51. p. 1.

(***) ANON. *Archid. Gneſn.* p. 90. DLVG. VIII. 877.

(†) ANON. *Archid. Gneſn.* p. 90. DLVG. VIII. 881. 883. SCHVTZII *Chron. Pruſſ.* f. 51. p. 2.

§. XXI. Unam reliquerat Premislaus filiam, Richſam, quare Poloni majores ſibi & ſuae Pomeraniae Vladislaum Locticum, qui Cracovia & aliis terris exciderat,

praeficiebant Principem. Huic imperium, quod male exercuerat a. 1300. abrogabatur, idque Venceslao Bohemiae Regi ac minoris Poloniae Duci obveniebat: qui Gnesnae ab Archiepiscopo regni insignibus condecoratus, statim matrimonium, cum unica Premislai filia iniit (*). Vladislaus omnibus terris exutus, latuit primum in Polonia, sed quod nulli loco satis fideret, privati habitu, per Hungariam Romam abiit, improbe acta expiaturus. Ex Hungaria a. 1304. cum modica manu Poloniam repetens, Visliciam & unum alterumque castellum vi cepit. Inter quae ipsi peropportune accidit mors Venceslai, qui a. 1305. Pragae decessit. Celebrat Historia, quod Poloniam pacatam, licet absens, juste & moderate rexerit; Cracoviam muro circumdederit; novam civitatem Sandecum aedificaverit; & in usum mercantium grossos Bohemicos induxerit (**). Circa illa tempora Duces Silesiae, qui Poloni Principes, supremo dominio Regum Bohemiae se subjicere coeperunt, ut suas terras tanquam *Feuda* Bohemica, lege beneficiaria tenerent, Casimiro Duce Oppoliensi, a. 1289. initium faciente (***).

(*) ANON. *Archid. Gnesn.* p. 90. 95. DLUG. VIII. 884. IX. 895.

(**) ANON.

(**) ANON. *Archid.* p. 95. DLVG. IX. 897.

(***) BALBIN. *Miscel. R. Bohem. decad.* I. lib. 8. p. 214. SOMMERSB. *script. Siles.* T. I. p. 881.

§. XXII. Post Venceslaum, Vladislaus Locticus minorem Poloniam & Pomerelliam obtinet, adversus quem dum copias contrahit Venceslai filius, ejusdem quod patri nominis, a percussore Olmutii in Moravia 1306. clam interficitur. Tum Polonia major, quod a Vladislao aliena, in ditionem Henrici Ducis Glogaviensis concessit, divisaque hoc modo inter duos Principes Polonia, neuter Regio titulo utebatur (*). Illo tempore Marchiones Brandenburgici, armis aggressi Pomerelliam, occupata civitate, arcem Gedanensem obsidebant. Ordo Teutonicus in Prussia, sumtus sibi solvi pactus, commeatum & milites praesidiariis submittebat, & hostis obsidionem ac civitatem deserere cogebatur: sed cum Ordo impensas a Vladislao frustra repeteret, arcem Gedanensem cum tota Pomerellia, quasi in pignus occupabat, solutis a. 1311. Marchionibus Brandenburgicis, pro ea, quam sibi vindicaverant, parte, decem marcarum millibus (**). Intercepta Pomerellia, Polonia major, mortuo a. 1309. Henrico Duce, sub Vladislai imperium concessit, mansitque ex hoc tempore

VLADISLAVS, INTER REGES, I.

re utraque Polonia ſub uno Principe (***). Defecit quidem a. 1309. urbs Cracovia ad Boleslaum, Oppoliae Ducem, cujus exemplum alia loca ſecuta, ſed amiſſa mox armis recuperavit Vladislaus, qui cum uxore a. 1320. Cracoviae ab Archiepiſcopo Gneſnenſi inſignia regia accepit (†). Anno ſequenti, lato a delegatis Papae decreto, Equitibus Teutonicis Pomerelliam Regi reddere fruſtra injungitur (††): quare controverſia in bellum erumpit, mutuis cladibus in a. 1330. geſtum, quo breves induciae compoſitae, poſt quas iterum bellum, & iterum a. 1332. unius anni induciae (†††). Antea a. 1326. junctis ſibi Lituanis, Marchiam Brandenburgicam miſere vaſtaverat (††††), ſed ultimum arma in Sileſiam vertit, unde redux a. 1333. in arce Cracovienſi moritur (*†).

(*) ANON. *Arch. Gneſn.* p. 91. 95. DLVG. IX. 911. 914.

(**) DLVG. IX. 927. ſ. 939. SCHVTZ. *Chron.* f. 55.

(***) DLVG. IX. 934. ANON. *Arch. Gneſn.* p. 91.

(†) ANON. *Arch. Gneſn.* p. 95. 96. DLVG. IX. 951. 971.

(††) DLVG. IX. 979.

(†††) ANON.

(†††) ANON. *Arch.Gnesn.*p.96. ANON. *Chron. Princ. Pol.* T. I. *script. Siles.* SOMMERSB. p. 60. DVSBVRGII *continuat.* c. 10.12.13. 17.21. DLVG. IX. 994. SCHVTZ. *Chron.* f. 61. s.

(††††) DVSBVRGII *chron.* part. III. c. 354. DLVG. IX. 989.

(*†) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 96. DLVG. IX. 1024-1025.

§. XXIII. Vladislao loctico successit unicus filius, Casimirus, Cracoviae cum uxore Anna, Gedimini magni Lituanorum Ducis filia, ab Archiepiscopo Gnesnensi, regiis insignibus a. 1333 decoratus (*). Huic prima cura, prorogatis induciis cum Ordine Teutonico, Regum Hungariae & Bohemiae arbitrio transigere, a quibus a. 1335. decretum, ut Equites Teutonici, Cujaviam & Dobrinum, tempore Vladislai loctici occupatum, redderent, Pomerelliam vero retinerent (**); cui sententiae Equites parere detrectabant, cum Poloniae Proceres, jure regni in Pomerelliam ac tractus Culmensem & Michelaviensem cedere nollent. Imploratus ergo a Rege Papa, duos misit nuntios, qui a. 1339. praeter Cujaviam & Dobrinum, Pomerelliam, Culmam & Michelaviam Polonis asserebant, simul Equitibus pro damnis illatis, ac impensis in litem fa- CASIMIRVS M.

ctis, magnam pecuniae summam, Regi numerandam, imperabant (*†). Nullus tamen inde fructus, decreto intra verba manente. Eodem tempore Casimirus, annorum undetriginta, quod filiis legitimis orbus, sororis suae Elisabethae ac Caroli Hungariae Regis filium, Ludovicum, certis legibus successorem designat (**†). Cum Rege autem Bohemiae Ioanne pacta ineuntur, quibus ei & successoribus Silesia permittitur, ipse vicissim jure in Poloniam ac titulo Regis Poloniae, quo a Venceslai tempore Bohemiae Principes usi, cedit (***†). A. 1340. Casimirus Russiam rubram Duce suo destitutam, jure cognationis sibi subjicit, & in formam provinciae Polonae redigit (†). Sequitur pax cum Equitibus Teutonicis a. 1343. qua Rex jure in Culmam, Michelaviam & Pomerelliam cessit, Cujaviam contra & Dobrinum recepit (††). Pacem hanc eodem anno, bellum in Henricum, Ducem Silesiae Saganensem, excepit, quo Fraustadium, oppidum majoris Poloniae cum suo agro, olim amissum, recuperatum, quod Bohemiae Rex Ioannes vindicaturus, Poloniam invasit, ac Cracovia frustra tentata, in reditu praelio superatus est (†††). Cum Lituanis de nonnullis Russiae terris certatum, qui dum incursionibus suis Polonis graves, non una

clade

clade repressi fuerunt (††††). Nec minus hoc memorabile, Siemovitum Masoviae Ducem, a. 1355. adactum, ut se clientem beneficiarium Regis profiteretur (*†), in quem Ducatum sibi supremum dominium Reges Bohemiae vindicaverant (**†), quodque Carolus in Casimirum transtulit (*††). A. 1359. Stephano Palatino Moldaviae, a fratre pulso, exercitus in auxilium missus, qui in densa silva circumventus & strage arborum afflictus, captivitatem subire cogebatur (††). Non alias magnificentior Casimirus, quam cum nepti suae Elisabethae, Ducis Pomeraniae Bugislai filiae, a. 1369. Cracoviae nuptias instrueret, ubi praeter sponsum, Carolum IV. Caesarem, Reges Hungariae, Daniae, Cypri, multique alii Principes, per dies viginti lautissime habiti, nec sine muneribus dimissi sunt (*). Postea movens in Lituanos, rem gessit feliciter, recuperatis, quae hostes in Russia occupaverant. Bello hoc exsolutus, in Prussiam divertit, a Magistro Teutonicorum Equitum pro dignitate exceptus (**). Decessit Casimirus a. 1370. cui Polonia leges, judicia, cultum, plurimas civitates, arces & alia aedificia debet (***); praeter quae & Academiam Cracoviensem debuisset, si diutius vixisset (†). Iudaeis plurima contulit, quod pellicem ex

hac gente adamabat (††). Ob res gestas, ſive quod vita magnificus, magnus cognominatur.

(*) ANON. *Arch.Gneſn.*p.96.97. DLVG.1029.

(**) DLVG. p. 1033.

(*†) DLVG. p. 1036 — 1054.

(**†) ANON. *Arch.Gneſn.* p.101.DLVG.p.1055.

(***†) *Diplomata in* BALBINI *Miſcel. R. Boh.* dec. I. lib. VIII. p. 34. LVDEWIGII *Reliqv. Manuſcr.* T. V. p. 589. 600. 601. 603. SOMMERSB. *ſcript. Sileſ.* T. I. p. 774. 775.

(†) ANON. *Arch.Gneſn.*p.97. DLVG.p.1058.

(††) SCHVTZ. *chron.* f. 71. p. 1. DVSBVRG. *continuat.* c. 22. DLVG. 1066.

(†††) DLVG. p. 1068. 1073.

(††††) ANON. *Arch.Gneſn.*p.98.DLVG.p.1007.ſ.

(*†) DLVG. p. 1099.

(**†) *Dipl. in* BALB. *Miſcel. R. Boh.* dec. I. lib. VIII. p. 239. 240. 241. LVDEW. *Rel. manuſ.* T. V. p. 605. SOMMERSB. T. I. p. 774. 775. 776.

(*††) BALB. l. c. p. 68.

(††) DLVG. p. 1122.

(*) ANON. *Arch.Gneſn.*p.99.DLVG.p.1139.

(**) DLVG. p. 1150. 1151. DVSBVRG. *contin.* c. 24.

(***) ANON.

(***) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 97. 98. DLVG. p. 1080. 1104. 1163.

(†) DLVG. p. 1129.

(††) DLVG. p. 1110.

§. XXIV. Casimiro, cui nulla virilis stirps, mortuo, Ludovicus Hungariae Rex, jam olim designatus successor, post aliquam cunctationem Regnum suscepit, & a. 1370. Cracoviae ab Archiepiscopo Gnesnensi sollemni more inauguratus est: quod ut Gnesnae fieret, Archiepiscopus nequicquam exegerat. Secutae publicae defuncti Regis exequiae, corpore ante Ludovici adventum sepulcro illato, qui post hoc pietatis officium, reditum in Hungariam, Regni insignia secum auferens, properavit, Republica parum ordinata, ac matri, quae praeesset, mandata (*). Absens in Hungaria, publicis litteris jurejurando firmatis, nullum sibi & haeredibus in Silesiam esse jus professus est (**). Anno 1373. motus a Vladislao, ex Ducibus Masoviae oriundo, concitatus, qui tractu Gnievcoviensi, patrimonio suo, Casimiro Regi vendito, postquam aliud atque aliud tentasset, monachus primum Cisterciensis, dein Benedictinus, Divione in Burgundia egerat, sed post dicti Casimiri mortem, vanis persuasionibus illectus, regnum agitare coeperat. Adest LVDOVICVS.

ex

ex improviſo in Cujavia, & aliquot loca capit, quae dum tenere haud valet, ac a ſuis deſeritur, gratiae Regis certus, in Hungariam abit, ibidemque abbatiam & pro jure ſuo in tractum Gnievcovienſem, decem millia florenorum accipit. Eodem fere tempore Poloni tributum ex agris, *poradlne* dictum, pendere detrectabant, quod Rex ad duos groſſos, ex ſingulis manſis quovis anno ſolvendos, remittebat, cum jus ſuccedendi in regnum filiis ante conceſſum, ad filias proferretur (***). Fit a. 1376. Cracoviae in Hungaros, qui licentius egerant, tumultus, pluresque ex iis interimuntur; Rex vero laceſſitus Lituanorum incurſione, ſequenti anno, junctis utriusque Regni copiis, in eos arma vertit, & ad orandam pacem cogit. Mox Ruſſiae terras inter Hungaros partitur, ac Vladislaum, Ducem in Sileſia Oppolienſem, in locum matris Polonis praeficit, quem cum hi recipere nolunt, evocat a. 1381. ad ſe proceres, quaſi in commune conſultaturus, ubi tamen nihil decretum, praeter quod Epiſcopo Cracovienſi, Caſtellano Cracovienſi, & Palatino Caliſſienſi, regni adminiſtratio demandata, facultate vacuas dignitates, praeter Caſtellanatum & Palatinatum Cracovienſem, conferendi, ſoli Epiſcopo conceſſa. Anno ſequenti, Proceres Solium,

lium, prope Cremnitiam in Hungaria oppidum, arcessiti, volente Rege, in verba Sigismundi Marchionis Brandenburgici, Ludovici per filiam natu majorem Mariam generi, tanquam novi Principis, jurant, ipsumque in Poloniam deducunt. Ludovicus vero paulo post, eodem anno extinguitur, duas filias, dictam modo Mariam & Hedwigem, superstites relinquens (†).

(*) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 100-106. DLVG. X. 4. s.

(**) BALB. *Miscel. R. Boh.* dec. I. lib. VIII. p. 194. SOMMERSB. *script. Siles.* T. I. p. 778.

(***) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 108-112. DLVG. X. 18. s. LASCO *Stat.* f. 40.

(†) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 117-137. DLVG. X. 34-68.

§. XXV. Sigismundo, qui eo tempore Posnaniae erat, majores Poloni, quod non eorum postulationibus annuerat, sacramentum negabant, & habito Radomsciae in palatinatu Siradiensi conventu, sanciebant, eam ex filiabus defuncti Regis Reginam colere, utra ipsis, ut in Polonia maneat, concessa fuerit, mittebantque ad conventum minoris Poloniae Visliciam legatos, ubi oratores Reginae viduae rogabant, ut nihil certi de successione filiarum, aut Sigismundi Marchionis, HEDWIGIS.

nis,

nis ſtatuerent, ſed rem illam tantiſper in medio relinquerent: quare Sigismundus in Hungariam rediit (*). Deinde Polonia major inteſtino bello, inter ſuum Praefectum & nobilitatem conflato vexatur, & vidua Ludovici filiam minorem Hedwigem in Reginam promittit, cui Siemovitum Maſoviae Ducem maritum jungi, ſtatimque Regem eligi multi flagitant: isque in alio conventu, ſed minus frequenti, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Rex renunciatur. Inde novae turbae, Siemovito electionem haud legitimam armis firmante, quibus afflixit quidem graviter Poloniam, parum tamen ad rei ſummam profecit, praelato ipſi Iagellone Lituano, cui & Hedwigis & regnum contigit (**).

(*) ANON. *Archid. Gneſn.* p. 138. DLVG. X. 68-70. PRILVS. *Stat.* p. 7.

(**) ANON. *Arch. Gneſn.* p. 142. ſ. DLVG. X. p. 71. ſ.

VLADISLAVS IAGELLO.

§. XXVI. Veniebat a. 1384. Hedwigis Cracoviam, & ſtatim ipſi diadema imponebatur. Aderant ſequenti anno Iagellonis, magni Lituaniae Ducis legati, Reginae, licet Wilhelmo Auſtriae Duci deſponſae, matrimonium & regnum amplis conditionibus petentes, quarum non poſtremae: Iagellonem cum tota gente

reli-

religionem Christianum amplexurum; Lituaniam Poloniae juncturum; & amissas regiones recuperaturum. Consentiebant Poloni in comitiis Cracoviensibus, commodis oblatis permoti, quorum sensum, invita tamen, ob fidem Wilhelmo Austriaco datam, Regina sequebatur. Invitatus publica legatione Iagello, a. 1386. Cracoviam ingrediebatur, & sacro fonte, quo Vladislai nomen inditum, ablutus, Reginaeque in matrimonium junctus, regium insigne recipiebat, novam inter Reges stirpem, Iagellonicam dictam, orsurus (*).

(*) ANON. *Arch. Gnesn.* p. 154. DLVG. X. 95 - 105.

§. XXVII. Vladislaus inter Poloniae Reges, illius nominis secundus, turbis in majore Polonia pacatis, promissi memor, a. 1387. cum uxore in Lituaniam se confert; veterem superstitionem abrogat; multa millia ad religionem Christianam adducit; episcopatum Vilnensem instituit; rem sacram ordinat, & praeposito Lituaniae, titulo magni Ducis, fratre Casimiro, qui alias Skirgello vocatus, in Poloniam redit (*). Alexander, cui & Vitoldi nomen, Regis patruelis, aegre ferens praelatum sibi in magno Ducatu Casimirum, Equitum Teutonicorum in

Prussia

Pruſſia auxiliis fultus, bello Lituaniam aggreditur, quod vario marte geſtum, a. 1392. ea in primis lege componitur, ut Alexander Lituaniam, ſalva cum Regno conjunctione, & ſupremo penes Regem jure, magnus Dux regat (**). Pax haec parum diuturna, turbante Boleslao Svidrigelone, alio Regis fratre, quod magnum ducatum fruſtra ſperaverat. Promti in auxilium Teutonici Equites, aperto bello Lituaniam aggrediuntur, quod a. 1396. cum clade & captivitate Boleslai finitum eſt (***). Interea Regina Ruſſiam rubram, pulſis inde Hungaris, recuperaverat, Rex autem vertebat arma in Vladislaum Ducem Oppolienſem, fidelitatis ſacramentum, ob Dobrinum & Vielunum, quae a Ludovico dono acceperat, negantem: & Vielunum quidem armis ſubigebat, Dobrinum vero quadraginta florenorum millibus oppigneratum, Equites in Pruſſia tenebant: quare cum iis Iunivladislaviae conventus a. 1397. habitus, ex quo ſine fructu, irritatis animis diſceſſum (*†). Annus 1399. morte Reginae memorabilis fuit, quae enixa filiam tertio a partu die extinctam, Cracoviae obiit. Femina, cui pietas ſanctitatis famam circumdedit, miraculorum poſt mortem frequentia celebrem (**†).

(*) DLVG.

(*) DLVG. X. 109. KOIALOWICZ *Hist. Litv.* part. I. p. 393. s.

(**) KOIALOW. part. II. p. 2-33.

(***) KOIAL. l. c. p. 35-54. SCHVTZII *Chr. Pruss.* f. 89.

(*†) DLVG. X. 148. s. SCHVTZ. *Chron.* f. 92.

(**†) DLVG. X. 160. 162.

§. XXVIII. Initio novi saeculi, a. 1401. conjunctio Lituaniae in conventu Vilnensi diplomate firmatur (*); eodemque tempore Valachi Podoliam incursantes caeduntur, captusque eorum Palatinus, hac lege libertati & genti suae redditur, ut ipse ejusque successores Regis sint clientes. Contra Vladislaus, oblata sibi duo regna, Hungariae & Bohemiae, rara in Principibus moderatione, recusat (**). Iterum motus a Boleslao Svidrigelone, a quo incitati Equites Teutonici, Lituaniam vastant. Fit cum his pax a. 1404. conventu Racziansi, Rege & illorum Magistro praesentibus, habito, qua Equitibus Samogitia ceditur, Rex Dobrinum quadraginta millibus florenorum redimit (***). Secuti duo congressus irriti, alter Vratislaviae, alter Gnievcoviae, in illo de perpetuo foedere cum regno Bohemiae actum, in hoc a Magistro Equitum Teutonicorum postulatum,

ut Rex titulo & inſignibus Pomeraniae ſeu Pomerelliae abſtineret (†). Jam novum imminebat bellum, cujus cauſa, quod a. 1408. juſſu Equitum viginti naves Polonae annonam in Lituaniam vehentes, intercipiebantur, & Lituani negotiatores ſpoliabantur: quam injuriam magnus Dux vindicaturus, Samogitiam ſub ſuam poteſtatem redigebat, Equites autem Dobrinum occupabant. Procuratae induciae a Rege Bohemiae, quibus finitis ad arma reditum. Ingrediebantur a. 1410. Rex & Lituaniae magnus Dux cum ingenti exercitu, cui & Tattari immixti, Pruſſiam, & atrox pugna ad Tannenbergam ac Grunwaldum committebatur, qua magna ſtrage victi Equites, & ipſe Magiſter, Ulricus de Jungingen, occubuit. Poſt hanc victoriam Thorunium & multae aliae civitates deditionem fecerunt; Mariaeburgum fruſtra obſeſſum; diverſa loca ab Equitibus recepta; auxilia ipſis ex Livonia miſſa profligata, & a. 1411. prope Thorunium pax initia: qua convenit, ut quicquid in Pruſſia occupatum, Equites reciperent; iidem Regi centum millia ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium numerarent; ac poſt hujus & Alexandri magni Ducis Lituaniae mortem, Samogitiam obtinerent (††).

(*) KOIAL.

(*) KOIAL. l. c. p. 66. LASC. *Stat.* f. 128. PRILVS. *Stat.* p. 690.

(**) KOIAL. l.c.p.67. DLVG. X. 173.

(***) DLVG. X. 176. ſ. SCHVTZ. *Chron.* f. 99. KOIAL. l.c. p. 69.

(†) DLVG. X. 181: 183.

(††) DLVG. X. 190-309. DVSB. *continuat.* c. 34-37. SCHVTZ. *Chr.* f. 101. ſ. KOIAL. l. c. p. 78-89.

§. XXIX. Bello exſolutus Rex, a. 1412. Sigismundum, Caeſarem & Hungariae Regem, in Hungaria convenit, & parum providus foedere inito conſenſit, ut Sigismundus jus aliquod in Ruſſiam, Podoliam & Moldaviam ſibi vindicaret. Ab eodem tractum Scepuſienſem, numeratis quadraginta aut triginta ſeptem ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium millibus in pignus accepit (*). Sequenti anno in oppido Hrodlo palatinatus Belcenſis, celebratus conventus, ubi Lituani Polonis dignitatibus & juribus aequati, pluresque illorum familiae Polonicis inſertae, ac ad communionem inſignium admiſſae: ſimul praeter alia ſancitum, ut Lituani magnum ſuum Ducem a Rege Poloniae accipiant, & Poloni, Rege ſine liberis & legitimis ſucceſſoribus mortuo, una cum Lituanis Regem eligant (**). Samogitia vero Chiſtianis ſacris acceſſit, ibidemque Epi-

ſcopatus unus & multa ſacerdotia minoris dignitatis inſtituta (***). Anno 1414. Rex ab Equitibus Teutonicis laceſſitus, cum magno Lituaniae Duce, Pruſſiam hoſtiliter ingreditur, captisque aliquot civitatibus, dum Strasburgum obſidet, Papae nuntius duorum annorum inducias impetrat, quae, quod de pace fruſtra actum, in aliud biennium prorogantur: quas 1419: aliae ejusdem ſpatii excipiunt (†). Paulo poſt, regnum Bohemiae, ab iis qui a Sigismundo defecerant, Regi iterum offertur, quod is poſt conſultationes in comitiis Lencicienſibus recuſat, diverſitatem religionis inter cauſas allegans. Nihilominus Bohemis Sigismundus Coributh, ex Ducibus Lituaniae, Demetrii, qui Regis frater, filius conceditur: quod Papa aegre ferens, exigebat, ut Rex Sigismundum intra duos menſes revocaret, ſecus ipſum pro fautore & defenſore *haereticorum* habitum iri. Hoc, ſimul novo cum Caeſare Sigismundo, Hungariae ac Bohemiae Rege, foedere motus, Coributhum Bohemia exire jubebat, quam cum a. 1424. Rege inſcio repeteret, hoſtis patriae & Majeſtatis reus, ob contumaciam judicabatur (††). Antea, quod novae induciae convenire haud poterant, Equitibus Teutonicis a Sigismundo Caeſare in bellum incitatis, Rex & magnus

Litua-

Lituaniae Dux a. 1422. Pruſſiam ingrediebantur, ac tractu Culmenſi ferro & igne miſere vaſtato, Culma civitate & Goluba expugnatis, pax eodem anno prope Culmam, ad lacum Melno, componebatur (†††).

(*) DLVG. XI. 318-333. BELIVS *Prod. Hungar.* p. 106.

(**) DLVG. XI. 337. LASC. *Stat.* f. 125. PRILVS. p. 686.

(***) KOIAL. l. c. p. 93.

(†) DLVG. XI. 352-403. DVSB. *continuat.* c. 38. SCHVTZII *Chron.* f. 109. ſ.

(††) DLVG. XI. 428. ſ. KOIAL. l. c. p. 109-119. LVDV. *Rel. Manuſcr.* T. V. p. 403-407.

(†††) DVSB. *continuat.* c. 39. 40. DLVG. XI. 453-465. SCHVTZII *Chron.* f. 113. p. 2. KOIAL. p. 113.

§. XXX. Annus 1424. fuit memorabilis, quod quarta Vladislai uxor, Caeſare Sigismundo, & Erico Daniae Rege praeſentibus, Cracoviae Regina inaugurata, & Regi primus filius natus, cui patris nomen inditum: quem in comitiis Breſtenſibus ſequentis anni, proceres regni ſucceſſorem ſcripto declarabant, ſi pater vetera & nova jura litteris firmaverit, quod cum is detrectaret, decretum in comitiis Lencicienſibus irritum reddebatur (*). Habitus a. 1429. Luceoriae in Volhinia,

hinia, Caeſare Sigismundo auctore, conventus, cui praeter Caeſarem, Regem Poloniae & magnum Lituaniae Ducem, Rex Daniae, Moſcoviae Duces, Equitum Teutonicorum & Enſiferorum Magiſtri, Caeſaris Conſtantinopolitani legati, Tattarorum Reguli, interfuiſſe feruntur. Specioſa allegabatur cauſa, ut arma primum in Bohemos, poſtea in Turcos jungerentur: vera erat, ut Caeſar magnum Ducem a Rege, Lituaniam a Polonia divelleret, titulo regio Duci oſtentato; gnarus, duorum regnorum ſub diverſis Regibus ſocietatem parum eſſe diuturnam. Captus ſplendore nominis Alexander magnus Dux, neque Rex alienus videbatur, ſed Poloni pactis confiſi, fortiter reſiſtebant. Conventu ſine fructu finito, non mutavit conſilium Caeſar, & in Alexandro Regiae dignitatis cupiditas exarſit, Polonorum legationibus & Papae litteris, ut animum flecteret, fruſtra monitus. Jam finibus Poloniae cum inſignibus regiis, Caeſaris legati appropinquaverant, conſtitutusque dies, quo illa Vilnae publice reciperet, qui ſpectarent, confluentibus, cum inſeſſis a Polonis itineribus, legati infecta re redire cogerentur. Tandem incepto ſe deſiſtere Aleander profeſſus, qui morte ſua a. 1430. Regem & Polonos hac cura plane liberavit (**).

(*) DLVG.

(*) DLVG. XI. 475. 483. 486. 490.

(**) KOIAL. p. 125. ſ. DLVG. XI. 513. ſ.

§. XXXI. Eodem anno, in comitiis Iedlnenſibus, Poloni alteri ex duobus filiis Regis, uter idoneus fuerit, ſucceſſionem in regnum promiſerunt, viciſſim Rex vetera jura firmavit, illuſtravit, ac novis auxit (*). Magnum autem Lituaniae Ducem, fratrem ſuum, Boleslaum Svidrigelonem, creavit, pactus antea, ut Podoliam Polonis redderet, qui morae impatientes, eam ultro ſibi vindicarunt. Tum de Podolia diſceptatio & bellum inteſtinum, quo profligatus Boleslaus magno ducatu exutus eſt, ſuffecto in ejus locum Sigismundo, defuncti Alexandri fratre. Antea Teutonici Equites, Boleslai foederati, Cujaviam & Dobrinum vaſtarunt, qui & eidem auxilia miſerunt, cum Lituaniam armis recuperare fruſtra niteretur, Polonis vero Bohemi, Huſſi ſectatores, ſubvenerunt, ac Pomerelliam miſere populati ſunt. Cum Equitibus a. 1433. duodecim annorum compoſitae induciae, cum Boleslao autem bellum protractum, cujus finem Rex non vidit, a. 1434. in arce Grodecenſi defunctus (**).

(*) DLVG. XI. 536. LASC. *Stat.* f. 50.

(**) DLVG. XI. 559. ſ. KOIAL. p. 140. ſ. DVSB. *continuat.* c. 43-47.

VLADISLAVS III. §. XXXII. Supererant duo filii, Vladislaus & Caſimirus, quorum prior a. 1431. ſucceſſor declaratus, cujusque jus ſtatim poſt patris mortem, in conventu majoris Poloniae Poſnanienſi, novo conſenſu firmatum, die quo Rex inauguraretur conſtituto & poſtea prorogato. Recepit Vladislaus III. d. 25. Jul. a. 1434. Cracoviae regni inſignia, praeter Ordines, Ducibus Maſoviae & magni Ducis Lituaniae, ac Palatini Valachiae legatis praeſentibus, minori aetate, cum annum ageret decimum, a quibusdam fruſtra objecta. Ob eandem cauſam ab aliis Dux Maſoviae Siemovitus, Regis tutor commendatus; ſed placuit ſingulis terris ſingulos, Cracovienſi binos negotiorum publicorum curatores praeficere (*). Lituaniam Boleslaus, auxiliis Equitum ex Livonia adjutus, turbare non deſinebat, qui poſt clades minores, praelio ad Vilcomergiam ita domitus, ut Regis gratiam Cracoviae implorare cogeretur, quem cum Rex fruſtra magnoDuci reconciliare tentaſſet, a. 1437. in Tranſilvaniam exulatum abiit (**). Praeceſſit ultima die a. 1435. Breſtae in Cujavia pax perpetua cum Equitibus Teutonicis, qua de finibus, commerciis, vectigalibus, auxiliis hoſtibus non ferendis, locis aliquot ab utraque parte reſtituendis, & Regi novem

vem millibus ac quingentis florenis Hungaricis ſolvendis transactum (***). Sequenti anno Elias, Moldaviae Palatinus, cliens Leopoli in Regis verba juravit, cui annuum tributum imperatum: cujusmodi jurijurando promtum ſe obtulit, Stephanus Valachiae Palatinus (†). Diſtracta adhuc per religionis diſſidium Bohemia, pars a. 1438. eligebat Caſimirum, Vladislai fratrem, Regem, reliquis ſub ditionem Alberti Auſtriaci concedentibus. Miſſus exercitus in Bohemiam, qui Caſimiro regnum aſſereret; ſecutus Rex cum fratre, ſed vaſtata Sileſia in Poloniam revertit. Neque in Bohemia res ex ſententia ſucceſſit, quare a. 1439. Vratislaviae de pace actum, pro qua aliquot annorum induciae convenere, Alberto Bohemiam retinente.

(*) DLVG. XI. 653. 620. 664-668.

(**) KOIAL. p. 166-172.

(***) DLVG. XII. 686. SCHVTZII *Chron.* f. 127. p. 2. LASC. *Stat.* f. 133. p. 1. ſ. PRILVS. *Stat.* p. 711. PRIVIL. ORD. PRVSS. f. 6.

(†) DLVG. XII. 690.

§. XXXIII. Interea Rex quintum decimum annum ingreſſus, fine anni 1438. regno pleno jure praeeſſe coeperat, Caſimiro autem fratri, pro Bohemia a. 1440.

 magnus

magnus ducatus Lituaniae obveniebat, Sigismundo magno Duce, ob immanem ſaevitiam inviſo, per conſpiratioem trucidato (*). Sed paulo ante quam Caſimiro Lituania ceſſit, Regi Hungariae regnum, poſt mortem Alberti, oblatum, quod ut capeſſeret a. 1440. inHungariam ſe contulit, ubi, Ladislao poſt mortemAlberti patris nato, bellum domeſticum inter diverſas partes ortum, quo utcunque compoſito, verſa in Turcos arma, pugnatumque adeo feliciter, ut pacem hoſtis peteret, quae in annos decem conceſſa. Sed Rex a foederatis ſuis, inprimis Papae legato, ſpecioſis rationibus incitatus, pacta reſcidit, & ad bellum rediit, quod clade Varnenſi ac Regis caede a. 1444. vindicatum. Vladislaus enim juvenili fervore, militis magis quam Ducis implens munia, dum in caſtra hoſtium cum paucis perrumpit, undique cinctus, poſt acrem pugnam, concidente ex vulneribus equo, proſternitur, ipſique caput amputatur. Hic fuit exitus violati aliorum impulſu foederis, quo Rex fortiſſimus, primum & viceſimum annum vix ingreſſus, ſummae Chriſtiani orbis ſpei, feſtinata morte praereptus eſt (**).

(*) DLUG. XII. 710. KOIAL. p. 174-180.

(**) BONFIN. *rer. Hungar.* decad. III. lib. IV. VI.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Abſente in Hungaria Rege, incurſiones hinc Sileſiorum, illinc Tattarorum Poloniam turbabant, allatis autem de Hungarorum clade ac Regis morte nunciis, moeror & conſternatio omnium invaſit animos. Quo tamen Reipublicae in hac ſua orbitate conſuleretur, in conventu Siradienſi a. 1445. Caſimirus magnus Lituaniae Dux, Rex renunciatus, & quod abſens, ut in proximis comitiis Petricoviae adeſſet, rogatus: qui regnum recipere detrectabat, quia de fratris morte non ſatis conſtaret. Quare nova ad Caſimirum ſequenti anno legatio, ut mentem flecteret, ſed illo in ſua ſententia permanente, in comitiis Petricovienſibus Boleslaus, Maſoviae Dux, Rex eligitur, aliis Fridericum II. Electorem Brandenburgicum fruſtra commendantibus. Hoc facto, ſubit Caſimirum recuſati regni poenitentia, & proceres Poloniae nova ſpe & rationibus inducti, neglecto Boleslao, Caſimirum Breſtae in Lituania conveniunt, ac obtinent quod antea fruſtra poſtulatum. Adjecerat quidem conditionem Caſimirus, ut ſibi liceret Volhiniam Podoliamque Lituaniae jungere, quae omiſſa, cum Poloni contradicerent. Anno igitur 1447. Caſimirus, qui vulgo tertius appellatur, regiis inſignibus Cracoviae decoratus, regnare coepit, nec minus Litvaniam

CASIMIRVS III.

vaniam retinuit (*). In primis, quae eodem anno Petricoviae habita, comitiis exactum, ut Rex promitteret, nullas terras, nominatim Ruſſiam, Volhiniam, & Podoliam Polonis ſe ſubtracturum: quod abnuit, jusjurandum quo Lituanis obſtrictus, intercedere allegans. Sequenti anno, Polonorum & Lituanorum comitia Lublini acta, ubi horum preces fruſtra fuerunt, ut Volhinia Podoliaque magno ducatui addicerentur, ac foedus, quo Vladislai Jagellonis tempore juncta Regno Lituania, cum Caſimiri ſtirpe finiret. Neque Polonis, qui Lituanis Lublini reſtiterant, in altero conventu Petricovienſi a. 1449. ſucceſſit, quibus jurium ſuorum confirmationem Rex negavit, quaſi illa ſine Lituanorum injuria fieri haud poſſet. Id ut omnes male habuit, ita majores Polonos collata a ſummo Pontifice Epiſcopo Cracovienſi purpura offendit, verentes, ne ea honor Gneſnenſis Archiepiſcopi imminueretur: ſed placati, cum a. 1451. ſancitum, ut Archiepiſcopi dignitas integra maneret, & ne de loco priore lis intercederet, ille & Epiſcopus Cracovienſis per vices publico conſilio adeſſent (**). Jura autem regni, poſt crebras monitiones, Rex demum a. 1453. ſacramento aegre confirmavit, ac illicite diſtracta, ad Regnum reducere ejusque fines proferre,

re, eadem religione ſe obſtrinxit: hocque in praeſens opportune viſum, Polonis & Lituanis de Volhinia ac Podolia contendentibus (***).

(*) DLVG. XIII. 1-27.

(**) DLVG. XIII. 31. 37. 54. 56. 57. PRILVS. *Stat.* p. 84. HERB. *Stat.* p. 63. *tit. Cardinal.*

(***) DLVG. XIII. 115. KOIAL. *Hiſt. Lituan.* Part. II. p. 202. ſ.

§. XXXV. Iis temporibus, magna in Pruſſia rerum converſio, incolis ab Equitibus Teutonicis a. 1454. deficientibus, ac deditionem Regi Poloniae per legatos Cracoviae offerentibus. Caſimirus poſt conſultationem illos recipit, ſcriptis legibus, quibus vetera jura firmabantur, ac nova adiiciebantur (*). Pars Pruſſorum Thorunii, alia Elbingae in Regis verba jurat, qui poſt ſuum adventum, provinciam ordinat. Equites autem Teutonici, eandem armis recuperaturi, bellum ſtrenue parant, ac Regem Conicium obſidentem profligant, poſt quam cladem plurima oppida, & cum iis Epiſcopus Sambienſis, ad victores redeunt. Rex cum valido exercitu Pruſſiam repetens, vix, quod dignum memoratu, peragit, neque fructuoſior ſequens expeditio, Leſſena per obſidionem fruſtra tentata. Equites contra, praeter nonnullas minores,

res, Regimontanas civitates recipiunt, & Gedanenſes Butaviam & Lauenburgum cum agris ſuis, Erico, Duci Pomeraniae tradunt, ut redderet, quocunque tempore eo nomine compellatus fuerit, ac Regi auxilium praeſtaret (**). Interea non deſinebant Lituani, Podoliam, tanquam magni Ducatus portionem poſtulare, urgebantque in comitiis Petricovienſibus a. 1456. controverſiae finem, tanto ſtudio, ut arma, & reſciſſo veteri foedere, novum ſibi impoſituros Ducem, minarentur. Jam hanc in rem conventus Vilnae haberi, cujus ſucceſſum Rex, ex improviſo advolans, turbavit, qui & tum & poſtea aegros & in vim erupturos animos, ſpe ac leniora ſvadendo, continuit (***). In Pruſſia, ubi bellum fervebat, Thorunium ac Gedanum, ut hoſtibus traderentur, ſeditionibus nequicquam exagitatae, turbis, non ſine conjuratorum ſupplicio, in tempore ſedatis. Contra milites Equitum Teutonicorum nonnulla loca ſibi in fidem debitorum ſtipendiorum oppignerata, Regi, numerata prius quae convenerat pecunia, ceſſerunt, inter quae arx & civitas Mariaeburgenſis potiores: civitas quidem per proditionem amiſſa, ſed a. 1460, fame ad deditionem ſubacta fuit. Praeceſſerant viginti menſium induciae, parum religioſe

ſer-

ſervatae, quibus finitis, bellum ex integro ſumtum, & poſt hoſtium cladem ad oram Pucenſem, Braeſtae in Cujavia a. 1463. de pace fruſtra actum, ſed mox novum de eadem, pari tamen ſucceſſu, Thorunii Colloquium inſtitutum, cum Varmienſis Praeſul ad Regis partes tranſierat. Tandem annus 1466. pacem dedit, Thorunii Rege praeſente & Papae Nuntio reconciliatore compoſitam: qua Pruſſiae pars, quae jam Polonica dicitur, in Regis ditione manſit, altera, quae hodie regni titulo inſignis, Equitibus Teutonicis eorumque Magiſtro relicta; inter hunc & Regem, eorumque ſucceſſores ac utramque Pruſſiam perpetuum foedus ſancitum; Ordo Teutonicus in tutelam, Magiſter & Commendatorum praecipui in conſilium Regis recepti, Magiſtro, primo a Regis ſiniſtra, aſſignato loco, ſcriptoque jurejurando, ab ipſo poſt ſex menſes, ex quo electus, Regi praeſtando (†).

(*) DLVG. XIII. 128. ſ. SCHVTZII *Chron. Pruſ.* f. 195. ſ. PRIVIL. MVNICIP. TERR. PR.

(**) DLVG. XIII. 146. ſ. SCHVTZII *Chron. Pruſ.* f. 202. ſ.

(***) KOIAL. l. c. p. 223. ſ.

(†) DLVG. XIII. 185-390. SCHVTZII *Chr. Pruſ.* f. 243-331. LASC. *Stat.* f. 142. PRILVS. *Stat.* p. 724. PRIVIL. ORD. PR. f. 20.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Antea, a. 1457. Ioannes Dux Osviecimensis, ducatum hunc quinquaginta millibus marcarum latorum grossorum Pragensium, Regi vendiderat, & eodem circiter tempore, Venceslaus Dux Zatoriensis se clientem fiduciarium subdiderat (*). Cum Rege autem Bohemiae Georgio, a. 1460. amicitia per legatos constituta, ne alter alterius hostibus opem ferret, quam duobus post annis, ambo Reges in congressu Glogoviensi firmarunt, mutuis auxiliis adversus Turcos additis (**). Perstitit in hac amicitia Poloniae Rex, quamvis a Papa ad bellum Regi Bohemiae inferendum incitabatur, Regno ejus in praemium ostentato, pro qua constantia gratiam referens Georgius, effecit, ut a. 1469. Vladislaus Casimiri filius maximus, a Bohemis successor eligeretur, manente penes Georgium, dum viveret, imperio. Hoc autem a. 1471. mortuo, electio Vladislai repetebatur (***). Quasi uno tempore in unam familiam plura regna essent congerenda, Hungarorum potior pars a Matthia deficiens, filium secundum, Casimirum, Regem sibi deposcebat, qui cum exercitu Hungariam ingressus, mox ab iis, qui acciverant, destitutus, ac Nitriae a Matthia obsessus, impetrato libero abitu, in Poloniam rediit (†). Mox inter Bohemiae

&

& Ungariae Reges ortum bellum, in quo Rex Poloniae filio cum exercitu ſubvenit (††). In Pruſſia illis temporibus de epiſcopatu Varmienſi lis inter Tungenium & Operovium orta, & poſt colloquia incaſſum habita, ad arma ventum fuerat, fovente diſſidia Ungariae Rege: utque adeo non vanus inteſtini belli metus eſſet, inprimis cum novus Teutonici Ordinis Magiſter, Regi jusjurandum negaret. Sed rediit a. 1479. domeſticae pacis fiducia, finita de epiſcopatu, quem Tungenius obtinuit, controverſia, & Magiſtro in Regis verba jurante (*†).

(*) DIPL. T. I. *Script. Sileſ.* SOMMERSB. p. 808. 810.

(**) DLVG. XIII. 260. 292. BALB. *Ep. rer. Boh.* p. 525.

(***) DLVG. XIII. 344. 394. 468. BALB. *Ep. rer. Boh.* p. 556. 560. 563.

(†) BONFIN. *rer. Hungar.* dec. IV. lib. 3. p. 564. 567. DLVG. XIII. 471-473.

(††) BONF. l. c. p. 570-576. BALB. *Ep. rer. Boh.* p. 563. 583.

(*†) DLVG. XIII. 474. 481. 486. 513. 541. 564. 570. 577. ſ. 585. SCHVTZII *Chron. Pr.* f. 340-366.

§. XXXVII. Lituanis a. 1478. Moſci Novogardiam magnam cum ſuo tractu,

 eripu-

eripuerunt, ac per inducias, quas Rex bello praetulit, retinuerunt, mox plures terras totamque Severiam ſuae poteſtati ſubjicientes (*). Palatino Moldaviae ac Valachiae, Stephano, fiduciario jurejurando in campis patentibus trans Tyram renovato, auxilia adverſus Turcos miſſa, & Joannes Albertus, tertius Regis filius, Tattaros Podoliam & Ruſſiam populantes a. 1489. bis cecidit (**). Hunc poſt mortem Matthiae, pars Ungarorum Regem voluit, ſed erat major eorum numerus, qui fratrem Vladislaum Bohemiae Regem elegerant. Armis igitur a duobus fratribus de externo regno certatum, ceſſitque Joannes Albertus, cui aliquot in Sileſia terras Vladislaus contulit, quas teneret, donec Polonia potiretur. Quod quidem brevi contigit, Caſimiro patre a. 1492. Grodnae mortuo, cui quinque filii & quatuor filiae ſuperfuerunt (***).

(*) CROMERVS XXIX. 430. 436. KOIAL. p. 247. 251. 255.

(**) CROMERVS XXIX. 433. 434.

(***) BONFIN. *rer. Hungar.* dec. IV. lib. 10. dec. V. lib. 1. p. 672. 692. CROM. p. 435-437. KOIAL. p. 258.

JOANNES ALBERTVS.

§. XXXVIII. Caſimiro ſuccedit Joannes Albertus, Rex in comitiis Petricovienſi-

vienſibus a. 1492. renunciatus, cum antea Lituani Alexandrum fratrem minorem Vilnae magnum Ducem creaſſent. Sequitur fœdus cum Bohemiae & Ungariae Rege, de mutuis adverſus cives rebelles auxiliis, pariter magnus Lituaniae Dux, cum Moſcorum Czaro Joanne Baſilide tranſigit, filiam ejus Helenam conjugem ſibi pactus, quae ſalvo religionis graecae uſu ipſi collocata (*). Adverſus Tattaros fines Poloniae incurſantes male pugnatum, neque felicior Regis in Moldaviae & Valachiae Palatinum Stephanum expeditio, ideo ſuſcepta, ut illo amoto, fratrem ſuum Sigismundum praeficeret. Sociava enim, Moldaviae caput, fruſtra obſeſſa, & recedentem conſtitutis induciis Regem, inſecutus Palatinus, ultimo agmini in ſilva, a fagis bucovina dicta, cladem attulit, & illatum ſibi bellum irruptionibus in Podoliam & Ruſſiam vindicavit, ſtrenue a Turcis Tattarisque adjutus. Turbis his pax a. 1499. finem dedit (**); cum Lituanis foedus Hrodlenſe anni 1413. repetitum, adjectumque planius, ne Lituanis magnum Ducem, inſciis Polonis, neve his Regem ſine Lituanis, eligere fas eſſet (***). Eodem tempore inter tres fratres, Reges Poloniae & Bohemiae ac magnum Lituaniae Ducem, pactio de mutuis auxiliis adverſus Turcos &

quosvis hostes convenit, & ne sine communi consilio aut Turcis arma inferrentur, aut cum iis de pace ageretur (†). Mox fraterni auxilii indigebat magnus Lituaniae Dux, bello a Moscis petitus, quo Lituani acie profligati; Severia iterum amissa; tractus finitimi ab hostibus vastati; Smolenscum autem ter frustra obsessum est. A. 1502. induciae in sexennium armis intercesserunt (††). Nec minus Polonis bellum imminere videbatur, cum novus Ordinis Teutonici Magister, Fridericus ex Ducibus Saxoniae, fretus Germanorum auxiliis, jusjurandum detrectaret. Rex consultaturus de hoc negotio, Thorunium a. 1501. adiit, ibique apoplexia extinctus, stirpe nulla, quod caelibem vitam egerat (†††).

(*) CROM. XXX. 438. KOIAL. p. 259. 266.

(**) CROM. p. 441. s.

(***) KOIAL. p. 275. 277. LASC. *Stat.* f. 130. PRIL. *Stat.* p. 693.

(†) CROM. p. 445. KOIAL. p. 277.

(††) KOIAL. p. 278. s.

(†††) SCHVTZII *Chron. Pr.* f. 440.

ALEXANDER. §. XXXIX. Petricoviae a. 1501. Alexander, Lituaniae magnus Dux, pronis nonnullorum in fratres, Vladislaum Bohemiae

hemiae & Ungariae Regem, ac Sigismundum ſtudiis, Rex eligitur, Cracoviaeque diademate redimitur: qui honor propter diverſam religionem, uxori non habitus. Initia Regni Tattari turbabant, caedibus & rapinis per Podoliam, Ruſſiam & Litvaniam late graſſantes, incitati, ut fama erat, a Stephano Moldaviae Palatino, qui opportunitate uſus, Pocutiam intercipiebat: qua tamen abſtinuit, cum Poloni Moldaviam a. 1504. invaderent (*) Minus controverſia cum Magiſtro Ordinis Teutonici de jurejurando ſucceſſit, qui Mariaeburgum ad Regem vocatus, quo ex aliqua cauſa abſens eſſet, in Germaniam profectus eſt (**). Poſtea A. 1505. Palatinus Moldaviae Bogdanus, memorati Stephani filius, Regis ſororem in matrimonium petiit, quae, cum ſponſum ob deformitatem oris, luſcus enim erat, averſata, hic vindicando quaſi injuriam, Pocutiam occupavit, qua vi pulſus obtinuit, ut certis legibus Regia ſoror ipſi promitteretur, inter quas non poſtrema, ſi relictis Graecorum, ad Catholicorum ſacra tranſiret (***). Pacatis ad Moldaviam Regni finibus, Lituania Procerum diſſidiis agitata a non uno exercitu Tattarorum miſere vaſtari. In hos contractae copiae, evocata nobilitas, & ipſe Rex paralyſi tactus caſtra adiit, unde per valetu-

 dinem

dinem Vilnam regreſſus, cum in hoſtem moveretur. Ductu Michaelis Glinſcii, menſe Auguſto A. 1506. prope oppidum Kleczko, poſt acres conflictus Tattari ad internecionem caeſi: cujus victoriae nuncius Regi decumbenti allatus, qui paucis poſt diebus orbus moritur (†).

(*) CROM. XXX. 449-452.

(**) SCHVTZII *Chron. Pr.* f. 403.

(***) CROMER. p. 454. 455.

(†) KOIAL. p. 300. ſ. SCHVTZ. *Chron. Pr.* f. 414.

SIGISMVNDVS I.

§. XL. Poſt Alexandrum Sigismundus frater, a. 1506. primum a Lituanis magnus Dux, & deinde abſens Petricoviae a Polonis Rex electus, initio ſequentis anni, Cracoviae diademate inſignitur. Prima cura, cum Moſcis, qui Lituaniae graves, tranſigere, ſed pro pace motus inteſtini orti, quibus novae ſpes hoſtibus acceſſerunt, dum Michael Glinſcius, inter proceres magni nominis, potens & factioſus, arma in patriam & Principem arriperet, ac ſuis opibus diffiſus, ad Czarum confugeret. Feſtinat Sigismundus ex Polonia, Glinſcius, Minſco fruſtra obſeſſo, ad Boryſthenem recedit. Adſunt in auxilium ſexaginta millia Moſcorum, qui pugnam detrectantes trans flumen ſe recipiunt,

piunt, & regio exercitu trajecto, castris in praedam relictis fugiunt. Fit a. 1508. pax, qua hostes arces aliquot reddunt, Glinscius vero possessionibus suis in Lituania multatus, cum iis, qui partes secuti, perpetuo in Moscovia exulare jubetur (*). Sequenti anno Bogdanus Valachiae & Moldaviae Palatinus, auxiliis Turcorum ac Tattarorum fretus, Regem lacessivit, & Podolia ac Russia vastatis, Camenecum, arcem Halicensem & Leopolim frustra obsedit. Reddiderunt vicem Poloni, qui Palatini terras populati, ejus exercitum profligarunt. Procurat pacem Vladislaus Bohemiae & Ungariae Rex, qua Palatinus veteri clientelae Regis Poloniae relictus (**). De controversia, quae adhuc cum Magistro Ordinis Teutonici intercedebat, a. 1510. Posnaniae sine omni fructu habitus conventus (***); cum Moscis autem dubia erat pax, donec a. 1514. quo ab iis Smolenscum captum, in apertum bellum erumperet. Pugnatum quidem ductu Constantini Ostrogii feliciter, superatique hostes memorabili praelio, quo illorum quadraginta millia periisse dicebantur. Exiguus tamen ex his aliisque successibus fructus relatus videbatur, Smolensco per quinquennales inducias a. 1521. Moscis relicto (†).

 (*) Ko-

(*) KOIAL. p. 319. 333. VAPOVII *fragmentum* p. 534. ſ. BIELSCII *Chron. Pol.* p. 508. ſ.

(**) VAP. *frag.* p. 540. BIELSCII *Chron. Pol.* p. 513.

(***) SCHVTZ. *Chr.* f. 432. ſ.

(†) KOIAL. p. 352. 379.

§. XLI. Anno 1515. Sigismundus fratrem Vladislaum, Bohemiae & Ungariae Regem, Poſonii, & cum eo Maximilianum I. Caeſarem, Viennae in Auſtria inviſit, ubi praeter matrimonia inter Vladislai filium Ludovicum, & Caeſaris neptem Mariam, hujusque nepotem Ferdinandum, ac Vladislai filiam Annam, arctior inter Regem Poloniae & Caeſarem contracta amicitia, qua hic ſuam promiſit operam, ut honeſta cum Moſcis pax obtineretur, ac Teutonici Ordinis Magiſter antiquis pactis ſtaret: ſecus promta fore auxilia, quae viciſſim Rex in Turcos obtulit (*). Nihilominus Albertus, Marchio Brandenburgenſis, poſt Fridericum Teutonicorum Equitum Magiſter, iterum iterumque monitus, jusjurandum detrectare, imo Samogitia armis tentata, incurſiones in Varmienſem epiſcopatum facere, ut tandem a. 1519. in comitiis Thorunienſibus bellum in ipſum decerneretur. Geſtum illud per totam hyemem, majore tamen Ordinis Teutonici damno,

in

in cujus Prussia, praeter oppida subacta & direpta, agri passim vastati, cum hostes contra Brunsbergam ex improviso caperent, ac Varmiam male haberent. Aestate, factis induciis, Magister Regem Thorunii convenit, reditumque ad arma, cum de pace frustra actum esset. Subveniebat hostibus scriptus in Germania exercitus, qui expugnato in majore Polonia Meseritio, ac captis in Pomerellia per deditionem Chonicio, Stargardo & Dirsavia, Gedanum per vim nequicquam tentabat: inde ad oram Pucensem digressus, commeatus inopia, in Germaniam dilabebatur. Ita civitates in Pomerellia recuperatae, aliae autem Magistri copiae Gutstadium ex insidiis obtinuerunt, quibus contra impetus in Elbingam minus successit. Secutae a. 1521. Thorunii quatuor annorum induciae, & a. 1525. Cracoviae pax, qua Marchio Albertus, ex Ordinis Magistro, Prussiae Dux, Regis & Regni Poloniae cliens fiduciarius factus, ut eam haereditario jure in posteros masculos, hisque extinctis, in fratres eorumque stirpem virilem transmitteret; in consiliis & conventibus publicis proximum a Rege locum haberet; Regi in bello cum centum equitibus adesset; & post ejus fratrumque Marchionum masculam progeniem, Prussia soli Regi pareret. Ex

hoc tempore pars illa Prussiae in ditione domus Brandenburgicae mansit, ac Albertus novus Dux publice inauguratus est (**).

(*) VAPOV. *frag.* p. 559. BIELS. p. 529. CVSPIN. *Diar. in oper. de Caesar.* p. 496.

(**) SCHVTZ. *Chr.* f. 461 - 500. PRILVS. *Stat.* p. 762. PRIVIL. ORD. PRVSS. f. 32. p. 1.

§. XLII. Illis temporibus, Gedani propter religionis diversitatem turbatum est, contulitque se Rex a. 1526. in urbem, ut mutata in antiquum statum restitueret, quietem novis legibus firmaret, ac in priorum motuum auctores animadverteret. Ibidem Rex sibi & Regno novos paravit clientes, Leoburgum & Butaviam, duos Pomerelliae tractus, Ducibus Pomeraniae eorumque posteris masculis, lege beneficiaria conferendo (*). Pariter eodem anno Masovia, finita Ducum suorum stirpe, soli Regi subesse coepit, & cum Moscis in sex annos induciae prorogatae sunt (**). Inter haec anxius Sigismundus, ne si ante justam filii, quem habebat unicum, aetatem moreretur, is successione excideret, quare multum nitendo effecit, ut Sigismundus Augustus, id enim filio nomen, anno 1529. aetatis decimo, a Lituanis magnus Dux renunciaretur, imperio penes patrem manente. Horum exem-

plum

plum Poloni ſecuti, eundem eodem anno Petricoviae Regem elegerunt, qui ſequenti ſollemni more Regni inſignia Cracoviae recepit, ita tamen, ut regimine, dum pater viveret, abſtineret (***).

(*) VAPOV. *frag.* p. 591. 593. ſ. BIELS. *Chr.* p. 553. 555. ſ. PRIVIL. STATVT. p. 787. LENGNICHII *Hiſtor. Pruſ.* T. I. p. 7. 8.

(**) VAPOV. *frag.* p. 596. BIELS. *Chr.* p. 557. KOIAL. p. 383.

(***) VAPOV. *frag.* p. 604. BIELS. p. 561. KOIAL. p. 389. PRILVS. *Stat.* p. 11.

§. XLIII. Sequenti anno, Moldavi cladibus coërciti, ac Pocutia recuperata (*). Cum Moſcis a. 1534. iterum bellum, ab irruptione in Lituániam coeptum, quod, caeſis ad Starodubum hoſtibus, induciae in quinque annos compoſuerunt (**). Interea Sigismundus Auguſtus juſtam aetatem attigerat, quare a. 1537. Cracoviae in Regni leges, ac nihil ex imperio per patris vitam uſurpaturum, juravit (***), cui parens primum partem, deinde a. 1544. in conventu Breſtenſi totum Lituaniae regimen contulit, ac jam a. 1541. tabulae induciarum cum Moſcis in ſeptem annos prorogatarum, illius nomine ſcriptae (*†). Moldavis rurſus Poloniam infeſtantibus, Rex anno 1537. omnem Nobilitatem in expeditionem evocavit, quae

quae ad Leopolim considens, de temeratis juribus queri & remedium statim postulare. Rex alia concedere, alia ad proxima comitia differre, & tempore opportuno inter disceptationes consumto, abeundi copiam facere. Ita equestris ordo, rebus infectis, aegris animis domum dilapsus (†): quod hosti commodum, qui vastata Podolia & caesis ad Serethum fluvium Polonis, pacem impetrat (††). Annus 1543. nuptiis Sigismundi Augusti, qui Elisabetham, Ferdinandi Romanorum Regis filiam duxit, memorabilis fuit. Haec intra biennium mortua, post quam Sigismundus I. anno 1548. vivere desiit.

(*) VAPOV. *frag.* p. 605. BIELSC. p. 563.

(**) KOIAL. p. 394-399.

(***) BIELS. p. 576. PRILVS. *Stat.* p. 13.

(*†) KOIAL. p. 401. 404.

(†) ORICHOV. *Annal. VI.*

(††) BIELSC. p. 577. 578. 579. NEVGEB. *Histor. rer. Polon.* VII. 541. 544.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS.

§. XLIV. Regnum capessivit post parentis mortem, Sigismundus Augustus, cujus prima comitia Petricoviae sine fructu habita & aegris ordinum animis soluta: cum plerique frustra urgerent, ut Rex uxorem Barbaram, Radziviliï Castellani

X

lani Vilnenſis filiam, Gaſtoldi Palatini Troçenſis viduam,quam poſt Eliſabethae mortem in Lituania clam duxerat, dimitteret, ac Lituaniam, Pruſſiam, Zatoriam Regno tam arcte jungeret, ut eodem modo regerentur iisdemque legibus parerent (*). Magis advertit animos & pro triſti omine acceptum, cum Academiae Cracovienſis ſtudioſi, quod caedem & vulnera ſuis commilitonibus ex levi cauſa illata, non rite vindicari crederent, uno die omnes ex urbe, nunquam redituri, proficiſcerentur. Secutum arcis Cracovienſis incendium, & Tattarorum in Rusſiam incurſio (**). Altera comitia Petricoviae anno 1550. per controverſias de legum ſuperiorum executione, ac ſacri ordinis poteſtate judiciaria coërcenda, abſumta. Rex tamen vetera jura ſcripto firmavit, ac varia Senatoribus praeſentibus publice ſanxit. Poſt comitia caput Reginae, cujus matrimonium nuper impugnatum, Cracoviae diademate redimitum, quae huic honori paucis menſibus ſupervixit (***). Non deſiit in comitiis anno 1552. diſceptatio de ſacri ordinis judicandi nobiles poteſtate, & ceſſerunt ultro Epiſcopi, judicia in nobiles, religionis cauſa, intra annum unum haud exercituros promittentes, quo illo ſpatio amice tranſigeretur (†). Poſt comitia Rex

in

in ſuam Pruſſiam, inde Regiomontum ad Ducem Albertum excurrit: ante quam urbem vitae diſcrimen adiit, cum pila ignita ex mortario miſſa, nobili armigero pone ipſum caput aufferret, ut ejus cerebro aſpergeretur. Eodem tempore Sieniavius exercitus Polonici Dux, petentibus Valachis Palatinum praefecit, eumque cum gente ſua fiduciaria lege in Regis verba adegit (*†).

(*) ORICHOV. *Annal. II.* BIELSC. p. 589. LENGNICH. *Hiſtor. Pr.* T. II. p. 17-27.

(**) ORICH. l. c. BIELS. p. 590.

(***) ORICH. *Annal. III.* BIELS. p. 591. 592. VOL. CONSTIT. p. 1. ſ.

(†) BIELS. p. 595. ORICHOV. *Annal. V.*

(*†) ORICH. *Annal. V.* BIELS. p. 596. LENG. *Hiſt. Pr.* T. II. p. 85. ſ.

§. XLV. Cum Moſcis, pace perpetua nequicquam tentata, novae induciae in annos ſex anno 1555. conſtitutae ſunt (*). Sed in Livonia ſequenti anno inter Archiepiſcopum Rigenſem & Enſiferorum Magiſtrum bellum inteſtinum ortum, quod non minus Regem armavit, quo Archiepiſcopo ſubveniret, & captum interea a Magiſtro in libertatem reſtitueret. Jam finibus Curlandiae appropinquaverat exercitus, poſitis ad Pasvaldum caſtris,

caſtris, ubi anno 1557. poſt compoſitas domeſticas in Livonia turbas, pax, & inter Lituaniam Livoniamque foedus adverſus Moſcos perpetuum convenit (**). Hoc foedere irritatus Moſcus, mox Livoniam bello aggrediebatur, cui cum eadem par non eſſet, poſt agrorum depopulationes & alia graviora damna, anno 1559. novum foedus cum Lituania Vilnae initum, ut, ſi honeſta pax haberi non poſſet, bellum, tanquam commune, Lituanorum auxiliis propulſaretur, arcibus aliquot ac praefecturis in Livonia pro ſumtibus oppigneratis, finito bello ſexies centenis florenorum millibus redimendis (***). Sumta ergo pro Livonia a Lituanis arma, ſpe pacis ab hoſte praeciſa, ſed cum novis Moſcorum ſucceſſibus ac inteſtino diſſidio, res Equitum Enſiferorum ad eas anguſtias redigerentur, ut quicquid ex Livonia ſupererat, ſervari eorum opibus haud poſſet, ſe & provinciam, ſcriptis eo nomine pactis, anno 1561. Regis tanquam magni Ducis Lituaniæ ditioni ſubjecerunt, ita ut partem trans Dunam fluvium ſitam, pleno imperio, ſalvis incolarum juribus teneret, alteram autem cis Dunam titulo ducatuum Curlandiae & Semgalliae, lege fiduciaria Gotthardo Kettlero, ultimo jam Ordinis Magiſtro, ab eo ad ſobolem ſuam maſculam per haereditatem transmittendam,

dam, conferret. Ita extincto Equitum Ensiferorum ordine, novus Dux Curlandiae, Lituaniae cliens fiduciarius, ortus est (†).

(*) KOIAL. p. 428.

(**) HENNINGII *Chr. Liv.* f. 6-9. LENGN. *Hist. Pr.* T. II. p. 143. 144. 146. BIELS. p. 606. KOIAL. p. 429-433.

(***) HENN. f. 11-20. KOIAL. p. 435. 436. LENGN. T. II. p. 169. 174-185.

(†) HENN. f. 23-32. KOIAL. p. 446-449. LENGN. T. II. p. 198. 199. CHYTR. *Sax.* p. 528. f. p. 944.

§. XLVI. Haec rerum in Livonia mutatio, adeo Moscorum Czarum irritavit, ut per litteras Regi bellum denunciaret, ac omissa Livonia, vires suas in Lituaniam verteret. Post mutuas vastationes, hostium validus exercitus parva manu repressus, qui vicissim Polociam, strenue defensam, anno 1563. expugnarunt. Secutae aliquot mensium induciae, quibus de pace frustra actum (*). Interea Rex Sveciae turbis Livoniae in rem suam usus, Revaliam & plura in Estonia loca occupaverat, ac ulterius progressus, in Regem Daniae arma vertere cogebatur, cum quo foedus Sigismundus Augustus in Svecum pangebat (**). Dicto anno improvisus Erici

Erici Ducis Brunsvicensis, cum quatuordecim millium exercitu in Prussiam adventus, Regi non levem curam iniecit. Causa ferebatur, quasi copiae auxilium adversus Moscos essent laturae, licet a Rege non accitae, cui, quod ultro venerant, ab hostibus evocatae videbantur, ut turbis intra Regnum vires distraherent. Sed passus sibi persuaderi reditum in Germaniam Ericus, duodecim nummorum imperialium millibus, quae Gedanenses totius Prussiae nomine numerabant, mutuis acceptis (***). Anno 1565. tribus praeliis profligati Mosci, non tamen alius triplicem victoriam secutus fructus, nisi quod Severia vastata, & de pace colloquium nullo successu habitum. Exceperunt aliae hostium clades, ac agrorum vastationes, quibus majora sperabantur, contracto a Rege anno 1568. centum millium exercitu, qui cum duobus mensibus otiosus & incolis gravis in castris consedisset, dilabebatur. Aliis tamen copiis hostibus damna illata, bellumque ad inducias deductum (†).

(*) HENNING. f. 34. s. KOIAL. p. 450. LENG. T. II. p. 205. 251. BIELS. p. 613.

(**) BIELS. p. 610. LENG. T. II. p. 261. 262.

(***) LENG. T. II. p. 263-265.

(†) KOIAL. p. 466-486.

§. XLVII. Praeter bellum Moſcicum, in id potiſſimum Rex incumbebat, ut, ſublatis de Volhinia & Podolia inter Polonos & Lituanos controverſiis, magnus Ducatus novo foedere Regno quam arctiſſime jungeretur. Poſterius admodum placebat Lituanis, finibus tamen integris, quibus Volhiniam & Podoliam contineri credebant. Protractum negotium, & interea Livonia cum Ducatibus Curlandiae & Semgalliae, diverſo tamen modo, novis tabulis anno 1567. Litvaniae inſerta, ac Livonia ordinata (*). In comitiis Lublini anno 1569. a Polonis & Litvanis habitis, praeter Volhiniam & Podoliam, Podlachia & Kiovia Poloniae terris adſcriptae, & magnus ducatus regno ita junctus: ut una ſit Reſpublica ſub uno Principe, ab utraque gente in Polonia eligendo; una comitia Varſaviae ordinarie habenda; Senatus & nunciorum conclave ex utroque populo unum; pecunia ejusdem pretii; foedera, auxilia & alia communia. Praeterea Senatoribus & nunciis Equeſtris ordinis Lituaniae, ſua loca inter Poloniae Ordines aſſignata, & Livonia, quae adhuc ſolius Lituaniae portio habita, ſimul Regno acceſſit. Nec minus in Pruſſos decretum, ut immixti regni Ordinibus, in poſterum una in comitiis conſulent (**). In iisdem comitiis

mitiis Lublinensibus, Albertus Fridericus, Prussiae Dux, beneficium, quo Prussiam tenebat, sollemni ritu recepit, vexillum, quod porrigi solet, praeter Marchionis Anspacensis, Electoris Brandenburgici legatis attingentibus (***). Illis temporibus Gedanenses in gravem Regis offensionem incurrerant, ob ejus delegatos, qui statum urbis suae ordinarent, non admissos: qui recepti in gratiam, concessa delegatis cum adeundi, tum novas leges, quae Karnkovianarum constitutionum nomine celebrantur, sanciendi copia (†). Cum Svecis qui Estoniam retinebant, pax colebatur; cum Moscis anno 1570. induciae in triennium prorogatae (††): quarum finem Sigismundus Augustus non vidit, die 7. Julii anno 1572. exhaustis per valetudinem viribus, lenta febri Knisini in Podlachia extinctus. In illo stirps mascula Jagellonicae domus desiit, quod nulli ex tribus matrimoniis liberi contigerant. Regnante eo, diversitas religionum late diffusa, qui dissentirent a catholica, numero & opibus validis. Praeterea miles Quartianus, qui pro finium securitate excubaret, institutus, & per executionem statuti Alexandrini, bona regia, quae privatis aut donata aut oppignorata fuerant, vindicata sunt.


(*) KOIAL. p. 480.

(**) BIELS. p. 624. KOIAL. p. 487. 488. LENGN. T. II. p. 389. ſ. 395. 396. VOL. CONSTIT. p. 149-180.

(***) NEVGEB. *Hiſtor. rer. Pol. VIII.* 625. LENGN. T. II. p. 397.

(†) LENGN. T. II. p. 397. 398. 399. 403. BIELS. p. 623. 624. 638. ſ.

(††) LENGN. T. II. 397. KOIAL. p. 494.



HISTO-


HISTORIA POLONA AMPLIOR

A MORTE

SIGISMVNDI AVGVSTI

AD FINEM

ANNI MDCCXXXXVIII.



CAP. I.
DE
HENRICO.

§. I.

Nulla ex regnatrice domo in Po- HENRI-
lonia virili ſtirpe, neque ali- CVS.
unde proviſo ſucceſſore, lon- 1572.
gius, & ſi non per domeſtica diſſidia, externis bellis turbidum metuebatur interregnum. Acti ſeorſum a Polonis majoribus, minoribus, Ruſſis, Pruſſis, Lituanis conventus, in quibus cum nihil in commune ſanciri poterat, tum majores, tum minores Poloni, generalia comitia, hi ad 10. Auguſti, illi ad 7. Septembris, Kniſinum indixerunt: qua diverſitate factum, ut neutra ab omnibus probarentur. Vocavit quidem ad alia comitia, Varſaviae die 9. Octobris celebranda, Ordines Primas, Uchanſcius, ſed illa ob paucitatem Senatorum inchoari haud poterant. Ne tamen, dum ſingulae provinciae ſibi conſulunt, Reſpublica

HENRICVS. in medio relinqueretur, utriusque Poloniae proceres, quibus ſe Maſovi ac Ruſſi junxerant, habito in oppido palatinatus Ravenſis, Kaska, colloquio, novis comitiis diem ſextam Januarii anno 1573. & locum Varſaviam conſtituunt (*)

1573.

(*) HEIDENST. *rer. Pol.* lib. I. p. 1 - 14. FRED. *geſt. ſub Henrico* p. 5 - 21. LENGN. *Hiſt. Pr.* T. III, p. 2. 9, 10, 24, 25. 29. 30.

§. II. In comitiis, quibus convocationis nomen eſt, Primatis interregni tempore auctoritas, quam aliqui impugnatum ibant, firmata; mutua inter diſſidentes de religione pax & ſecuritas, perpetua lege ſancita; & pro electione regia diem quintam Aprilis, ac locum in patenti campo, ſub Varſaviam ad villam Kamieniam edicere placuit. Praeterea legatio Ducis Pruſſiae, locum & ſuffragium in electione Regis exigentis, audita: quam poſtulationem Ordines ad arbitrium futuri Regis remiſerunt (*). Idem in ipſa electione, illius Ducis nomine, pari tamen ſucceſſu, repetitum, & cum Curlandiae Dux aequo jure cenſeri vellet, repulſam tulit. A ſolis ergo Ordinibus Rex electus, Erneſto Archiduce Auſtriae, Maximiliani II. Caeſaris filio, Henrico Duce Andegavenſi, Caroli IX. Galliae Regis fratre, & Joanne III. Rege Sveciae, aut filio ejus Sigismundo,

mundo, per legatos commendatis. Papae Nuncius religionis causam amplissime egit. Orator Hispanus audiri noluit, quia Gallici praelati. Moscus Regnum petere dedignatus, quod gratis se recepturum negaverat, si ultro offerretur. Imperator Turcicus ab Austriaca domo aversus, aut ex Gallia arcessi aut inter cives legi Principem svasit. Ferebatur & inter candidatos piastus, quod indigenae vocabulum; sed nemine inter aequales, qui summum fastigium publice ambire sustineret, vani nominis nulla habita fuit ratio. Distracti erant animi inter Principem Austriacum & Gallum, ac priori faventes, ad villam Grochovam, uno milliari, secedebant, Gallo addictis in campo electionis consistentibus. Illis reversis & de Gallo consentientibus, Henricus Andegavensis voce Primatis Rex declaratur: pace & securitate dissidentium de religione antea repetita. Postea pacta scripta, & a legatis Gallicis jurejurando probata: quibus foedus cum Gallia perpetuum; copiae aut pecunia contra quosvis hostes; quatuor millia peditum Vasconum adversus Moscos, Gallicis stipendiis; classis tuendis portibus ac dominio maris sufficiens; emporium in Gallia, pro mercibus Polonis & mercandi facultas Gallis par; quadringenta quinquaginta florenorum

HENRICVS. 1573.

HENRICVS. 1573. millia ex Gallicis reditibus in ufus Regni impendenda; debitorum Reipublicae a Sigismundo Augufto contractorum folutio; jurium confervatio & confirmatio, ac alia, novi Regis nomine promittebantur. Tum Regni Marefchalcus, Henricum, Regem Poloniae & magnum Lituaniae Ducem, die 16. Maji renunciabat (**).

(*) HEIDENST. l. 17-22. BIELS. p. 657. f. VOL. CONSTIT. p. 208.

(**) BIELS. p. 671-698. HEIDENST. p. 23. 30. FRED. p. 41-104. LENGN. T. III. p. 52-54. VOL. CONST. p. 224. GRATIANI *vita Commend.* lib. 4. c. 10. 11.

§. III. His peractis, fanciuntur leges, ad quas novus Rex & fucceffores Rempublicam gerant (*), ac conftitutis quae pro fecuritate finium neceffaria videbantur, legati ex utroque ordine, quorum princeps Adamus Konarfcius, Epifcopus Pofnanienfis, in Galliam mittuntur, ut Regis iter, cujus inaugurationi Cracoviae dies quarta Octobris dicta, maturent; jusjurandum ab eo in pacta conventa & regni jura, & a fratre, Rege Galliae, in ea, quae ipfius nomine in pactis promiffa, exigant; ac negotium de ducenda Anna, Sigismundi I. filia, conficiant. Legati die 19. Augufti Parifios ingreffi effecerunt, quicquid de utriusque

Regis

Regis jurejurando ſibi injunctum: & Henricus quidem ad formulam in comitiis ſcriptam fidem ſuam obſtrinxit, cum antea Epiſcopus Poſnanienſis, capiti, quo pax diſſidentium de religione firmatur, nomine ſacri ordinis in Polonia contradixiſſet. De matrimonio nil convenit, ſed integra res ad Regis adventum in Poloniam dilata: cui, pactis conventis & legibus antea memoratis ſcripto probatis, in curia Senatus Pariſienſis, Rege Galliae & tota aula praeſente, decretum electionis die 13. Septembris traditum, ipſeque Rex conſalutatus eſt (**).

HENRICVS. 1573.

(*) VOL. CONST. p. 253.

(**) BIELSC. p. 698-702. HEIDENST. p. 30-43. FREDRO p. 105-126. VOL. CONSTIT. p. 226.

§. IV. Rex poſt moras, cum legatis initio Decembris ex Lotharingia diſcedit, & lento per Germaniam itinere, die 25. Januarii anno 1574. Meſeritium, in finibus majoris Poloniae, ingreditur, unde per Poſnaniam Cracoviam pergit, die 21. Febr. Regnum ſuſcepturus. Introiit urbem ſplendidiſſimo apparatu, duodeviceſima illius menſis, celebratis quinto decimo & duobus ſequentibus, Sigismundi Auguſti exequiis, quibus Regis nomine legatus interfuerat, & die conſti- 1574.

tuto,

HENRICVS. 1574. tuto, in aede ſancti Stanislai inſignibus Regni, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi exornatus. Mox ſecuta comitia, quae vulgo a coronatione nomen habent, ante quorum finem Joannes Tencinius, Caſtellanus Voinicenſis, a Samuele Zborovio, ad pugnam ſingularem provocatus, in ipſa arce, quaſi ſub Regis oculis, congreſſus: quorum certamen, dum dirimere nititur Andreas Vapovius, Caſtellanus Premislienſis, ſive a Zborovio, ſive ab ejus familiaribus, graviter ſauciatus, ut paucis poſt diebus, ex vulneribus obiret. Zborovius abſens exilio multatus, quae ſententia, quod in caedem Senatoris tempore comitiorum obtruncati lata, diſſolutior viſa, Regi & Zborovianis, quorum auctoritas in ſenatu, ubi haec cauſa acta, praevaluerat, invidiam conflavit. Caeterum in comitiis publice nihil conſtitutum, niſi quod regni jura, ſingulari diplomate firmata fuerunt (*).

(*) BIELS. p. 703-708. HEIDENST. p. 48-59. FRED. p. 128-141. NEVGEB. p. 643-645. VOL. CONST. p. 227.

§. V. Vix regnare coeperat Henricus, & jam taedebat Polonos Regis, cui minor Reipublicae cura, potius in conviviis, venationibus & ludicris ſtudium, quique inconſulte largiendo annuos reditus admo-

admodum minuebat. Durae & minaces passim audiebantur voces, ac ex aversa civium voluntate publica metuebatur secessio. In his, mense Junio, litterae de Regis Gallie obitu allatae, simul docentes, posse Henrico, nisi propere adsit, haereditarium regnum praeripi. Rex Senatoribus, qui Ordinum in comitiis decreto iter ingrediendum censuerant, auditis, clam abire secum constituit. Nocte post diem duodevicesimam Junii, per aversam portam arce Cracoviensi degressus, equam Turcicam conscendit ac septem fugae comitibus, citato cursu in Silesiam festinavit: relictis in cubiculo, tum ad totum Senatum, tum ad nonnullos Senatores seorsum litteris, in quibus clandestinum & praecipitem abitum necessitate excusabat, ac promisso reditu, legatos utriusque ordinis, cum quibus de Republica consultaret, ad se in Galliam mitti postulabat. Assecuti Regem extra fines Poloniae, Jo. Tencinius, Castellanus Voinicensis, nuper regni Camerarius creatus, & Nic. Zebrzydovius, quorum ille frustra, ut rediret, obsecravit (*).

HENRICVS. 1574.

(*) HEIDENST. p. 61. 62. BIELS. p. 709. FRED. p. 143 - 154. LENGN. T. III. p. 109. 110. DANIEL *Hist. Gall.* T. VI. p. 7 - 10.

§. VI. Henricus per Vindobonam, Vene-

HENRICVS. 1574. Venetias & Auguſtam Taurinorum, iter in Galliam perſecutus, Polonis per litteras fruſtra eum Vindobona revocantibus, cum in ſuo conſilio perſtaret. Quo autem Principe abſente, ſaluti publicae conſuleretur, Primas Uchanius ad diem viceſimum quartum Auguſti, Varſaviam comitia indixit, in quibus Henrico ad reditum dies duodecima Maji anni 1575. ſtatuta, qua niſi adeſſet, de eligendo alio Rege conſultaretur: idque ipſi per duos legatos, & epiſtolam omnium Ordinum nomine ſcriptam, ſignificatum. Promittebat Henricus reditum, quam primum Galliam ordinaſſet, & Poloni ad diem,
1575. quam ſanxerant, prope Stenſyciam, in finibus palatinatus Sendomirienſis & Lublinenſis oppidum, confluebant, ubi viceſima ſexta Maji Regi, multis tamen contradicentibus, abrogatum regnum: utque adeo per diverſa Ordinum ſtudia, comitia potius rupta, quam conſenſu finita dici poſſent. Menſe Septembri, Tattari magnis exercitibus, Ruſſiam, Volhiniam & Podoliam invaſerunt, terrore Cracoviam imo in Sileſiam usque ſparſo. Pugnatum in eos levioribus praeliis infeliciter, & hoſtis more ſuo omnia ferro & igne populatus, cum praeda & triginta circiter captivorum millibus, incolumis trans Tyram evaſit (*).

(*) HEI-

(*) HEIDENST. p. 63. 72. BIELS. p. 719-721. FRED. p. 158. 294. 252. 261. 267. ſ. SVLICOV. p. 35-38. LENGN. T. III. p. 117. 133. 134.

CAP. II.
DE STEPHANO.

§. I.

Licet in comitiis Stenſycienſibus de abdicando Henrico Ordinum fuiſſet diſſenſio, omnes tamen perſpiciebant, regnum ſine Principe conſiſtere non poſſe, & cum, qui nuper gubernaculis aſſidere coeperat, abeſſet, reditus tempore plane incerto, neceſſitas, quae & ſapientibus pro ratione eſt, novum Regem exigebat. Is, ut rite eligeretur, habita fuerunt die tertio Octobris Varſaviae, ſeptem Senatoribus & paucis ex nobilitate praeſentibus, convocationis comitia, ac intra biduum finita, ſeptima Novembris die, ut Ordines prope Varſaviam electioni adesſent, decreta (*). Tum Polonis Archidux Auſtriae Erneſtus, Caeſaris Maximiliani II. filius, Ferdinandus Caeſaris frater, Rex Sveciae Joannes cum filio Sigismundo, Alphonſus Ferrarae & Mutinae Dux, verbis legatorum, & Stephanus Batorius, Tranſilvaniae Palatinus, ſcripto com-

STEPHANVS. 1575.

STEPHANVS. 1575.

commendabantur. Ordines, qui die duodevicesimo Novembris electionem aggressi, non unum fovebant candidatum. In senatu Praesules, Primate Uchanio praeeunte, Maximilianum Caesarem, licet regnum pro se non petiisset, Regem volebant. Caeterorum studia, inter Caesarem & ejus filium Ernestum erant divisa: Palatinus tamen cracoviensis, pro Rosenbergio, insigni inter Bohemiae proceres viro, lublinensis & belzensis, pro Piasto, quod nomen indigenis imponitur, ac solus curiae regni Mareschalcus pro Transilvaniae Palatino censebat. Apud nobilitatem potissimum Austriacus & piastus celebrabantur, praevalentibus numero Piastanis, a piasto sic dictis, quorum veluti antesignanus Joannes Zamoiscius, illustre illa aetate nomen, ferebatur. His se jungebant, qui Austriacum aversabantur, & facta secessione, Piastani & Austriaci seorsum consultabant. Ne tamen priores pro vano nomine niterentur, Joannem Kostkam sendomiriensem & Andream Tenczinium belzensem Palatinum prodebant, facultate alterutrum eligendi Senatui permissa. Tenczinius hanc dignitatem statim recusavit, Kostka, qui id Piastanis dabat, se deliberaturum simulavit: & Austriaci, qui omisso filio, jam arctius pro patre juncti, adversae partis con-

consensu frustra tantato, Piastanos in electionis loco relinquentes, propius Varsaviam accesserunt: ubi die 12. Decembris sub vesperam, Maximilianum Caesarem, primum Archiepiscopi Gnesnensis dein supremi regni Mareschalci voce, Regem declararunt (**). STEPHANVS. 1575.

(*) BIELS. p. 721. LENGN. T. III. p. 145.

(**) HEIDENST. p. 73-91. BIELS. p. 723. 724. FRED. p. 277-290. LENGN. p. 151. s.

§. II. Piastana nobilitas, cui ex Senatoribus aliquot se junxerant, hac adversae partis festinatione, non vertit suum consilium, nisi quod animum a Piasto in Piastam flecteret, collatis in Annam, Sigismundi I. superstitem filiam suffragiis, cui Stephanus, Transilvaniae Palatinus, maritus additur. Ita novo exemplo, die quarto decimo Decembris, Anna Regina & Stephanus Rex a Joanne Sieninscio, qui postea Archiepiscopus Leopoliensis evasit, quod nullus in partibus Episcopus erat, renunciantur. Secuta statim pacta cum novi Principis legatis, quibus jurium & consuetudinum integritas; debitorum publicorum solutio; a Moscis occupatorum recuperatio, accito, si opus, eam in rem ex Transilvania veterano milite; cum Turcis & Tattaris perpetua pax; finium Regni per munimenta securitas; ducenta

STEPHANVS. 1575. millia florenorum, in publicam tutelam ante Principis adventum numeranda; ac nobilium nuper a Tattaris in captivitatem abductorum redemtio, promittebantur. His adjectum, ut Stephanus Annam in matrimonium duceret; cum caetera jura, tum *Henricianos*, ut appellantur, *articulos*, ac ea, quae Ordines sub inaugurationem ad amplificandam libertatem sanciturі, firmaret probaretque; in subita Regni praesidia pro mille equitibus & quingentis peditibus stipendium praestaret; externa auxilia sine Ordinum consensu haud adduceret, nec iisdem insciis, stipendiarios milites extra regnum mitteret; ac memorata pacta in proximo conventu, vel ipse novus Rex, vel ejus legati jurejurando roborarent. Conventus iste, vt electio firmaretur, Andrejoviam haud procul Cracovia, ad diem duodevicesimam Januarii anni 1576. indictus, & legati, inter quos praecipuus Joannes Tarlo, Palatinus Lublinensis, in Transilvaniam missi, quo novum Regem ad capessendum regnum arcesserent (*).

(*) HEID. p. 92. BIELSC. p. 724. 725. FRED. p. 290-292. VOL. CONSTIT. p. 230. 251.

§. III. Qui Maximilianum elegerant, perscriptis pactis, oratores Viennam mittebant, ac Primas Ordines ad diem ultimum

mum Februarii Lovicium vocabat: cum interea conventus Andrejoviensis frequente nobilitate, auctoque Senatorum numero, inter quos ex Episcopis unus Cujaviensis, Stanislaus Karnkovius, aderat, celebraretur. In hoc electio Annae & Stephani novo consensu probata; eidem adversantes hostes patriae judicati; inaugurationi ac nuptiis Regiis dies quarta Martii decreta; ac securitati, si quis eandem turbaturus, sanctionibus provisum. A Caesare ibidem, praeter litteras & legatus aderat, ut suae electioni Piastani accederent: cui responsum, Caesarem haud rite electum: ac qui id coram docerent, oratores ad Caesarem nominati (*).

STEPHANVS. 1576.

(*) BIELSC. p. 725-727. HEIDENST. p. 91. 93. FRED. p. 302. VOL. CONSTIT. p. 235. 239. s.

§. IV. Stephanus, praestito in civitate Meggyes in pacta sua & regni leges jurejurando, ac *Henricianis articulis* probatis, iter in Poloniam ingressus, vicesima secunda Aprilis Cracoviam venit, Regina jam praesente. Die prima Maji, utrique regni insignia, ab Episcopo Cujaviensi tradita, & sequenti nuptiae peractae. In comitiis, quae post eas habita, nonnulla, quae ad internum Reipublicae statum pertinebant, sancita, caetera in aliud tem-

STEPHANVS. 1576.

pus dilata, Rege potiſſimum ſolicito, ut diſſidia ex diverſa electione orta componerentur. Partes enim Caeſaris, licet in dies minuerentur, validae tamen adhuc ad turbas excitandas alendasque. Primas, qui illarum caput, irrito, ex tentata nequicquam concordia, Lovicenſi, cujus ſupra facta mentio, conventu, alium ad nonam Aprilis Varſaviam indixit, quo pariter ſine fructu finito, Rex, ut ipſe negotium conficeret, fine Maji Cracovia Varſaviam movit, miſſis nomine Ordinum ad Caeſarem duobus legatis, qui, ut regno deſiſteret, perſuaderent. Varſaviae ad Regem Primas & plurimi adverſarum partium Senatores acceſſerunt, ante quos Lituani, miſſis legatis, fidem & obſequium profeſſi. Secuti horum exemplum, ſolis Gedanenſibus tergiverſantibus, Pruſſi, qui Regem die viceſimo ſexto Auguſti Thorunii exceperunt (*).

(*) VOL. CONSTIT. p. 249. ſ. BIELS. p. 732-737. HEID. p. 94. 102. LENGN. T. III. p. 164. 168-171. 184. 194. 206.

§. V. Interea legati Ratisbonae, ubi illo tempore comitia, a Caeſare auditi, obfirmatum ejus in adeundo Regno animum flectere non potuerunt, & dimiſſi, ex itinere captivi Lincium in Auſtria deducti. Cauſa erat, quod Kurtzbachius Caeſa-

Caesaris ad Gedanenses orator, a Veihero tribuno, in Pomerellia vi interceptus, vulneratus, spoliatus, & ea lege, ut se Regi Stephano sisteret, Gedanum dimissus fuerat. Hoc autem, cum vicissim libertatem legatorum Polonorum spoponderat, in Germaniam reduce, ac Caesare mortuo, illis ex sua custodia fine mensis Octobris Poloniam repetere permittebatur (*). Antea Rex Thorunio, tum in alias Prussiae civitates, tum Mariaeburgum excurrerat, in Gedanenses potissimum intentus, qui soli in ejus nomen jurare detrectabant; non studio in Caesarem, sed jurium suorum cura, quae prius firmari, ac integritati suae, sancitis Karnkovianis abrogatis, reddi exigebant, quam Principi fidem suam obstringerent. Durabat is animus mortuo Caesare, constituitque apud se Rex armis coërcere, quos missitatis legationibus flectere haud potuerat, civitate defensionem parante. Consultatum de ea re cum Ordinibus in comitiis Thorunienfibus, medio Octobri coeptis, ad quae Gedanenses fide publica ablegatos miserunt, quorum mandata adeo Regem irritabant, ut in suo hospitio militari custodia tenerentur. Quare in civitatem evocare armatam nobilitatem concessum, & a Prussis pecunia decreta. Initio anni 1577. Brombergae, quo Ste- 1577.

STEPHANUS. 1576.

 phanus

STEPHANVS. 1577. phanus Thorunio profectus, transactione, nullo tamen successu, tentata, Gedanenses tanquam publici hostes proscripti, ablegati eorum in custodiam Lenciciam ducti, & in consilio Juniwladislaviensi arma in eos decreta (**).

(*) SVLICOV. p. 72-88. LENGN. T. III. p. 197. 198.

(**) LENGN. p. 219. s. HEID. p. 103. s. BIELSC. p. 738. s.

§. VI. Non demittebant animum Gedanenses, sed ut impigre bellum propulsarent, omnia providerant. Metabatur ad Dirsaviam cum duobus circiter millibus & quingentis Polonis Gnesnensis Castellanus, Joannes Zborovius. In hunc totum praesidium, cui praedae spes non modicam voluntariorum manum junxerat, ductu supremi Praefecti Coellenii, decima sexta Aprilis mittebant. Erat exercitus, praeter imbellem turbam, quinque millium, qui sequenti die in hostem movit, cujus pars, cum superato angusto ad lacum lubeschaviensem aggere pugnaret, caeteri subito pavore correpti, ultro fugae se dabant: quorum exemplum praeliantes, projectis armis, secuti, quadringentis supra tria millia amissis. Post hanc cladem, novis colloquiis de transactione sine fructu habitis, Rex, qui inter-

interea cum exercitu advenerat, urbem menſe Junio obſidione cinxit, ac montibus qui imminent occupatis, tormentis quati & globos candentes, tum ſaxa grandiora immitti juſſit. Eodem tempore Veiherus, tribunus, Gedanenſium caſtellum ad Viſtulae oſtium obſidione premebat, quam poſt cladem a ſubvenientibus acceptam, relicto in praedam omni apparatu bellico, ſolvere coactus. Rex pariter ab urbe diſceſſit, totamque vim in dictum caſtellum vertit, quod non minus acriter oppugnatum, quam defenſum: donec ſexta Septembris obſidioni, quod minus ſucceſſerat, finem afferret, Rege Mariaeburgum repetente, quo ipſum copiae ſequebantur (*). Ibi negotium, quod armis confici non potuerat, nonnullorum Germaniae Principum legatis conciliatoribus, undecima Decemb. amice transactum, & civitas poſt publicam deprecationem, in Regis gratiam recepta, juribus cum Auguſtanae religionis exercitio firmatis; controverſia de ſancitis Karnkovianis & portorio ad comitia dilata; ducentis millibus florenorum Regi intra quinque, ac intra totidem annos viginti millibus ad reaedificandum olivenſe monaſterium, quod Gedanenſes incendio deleverant, praeſtandis (*). Aliam tamen ob cauſam Principum Germano-

STEPHANVS. 1577.

STEPHANVS. 1578.

rum legati Mariaeburgum venerant, quam ut inteſtinum bellum componerent. Nitebantur pro Georgio Friderico, Marchione ex Brandenburgicis Anſpacenſi, ut Alberti Friderici, Pruſſiae Ducis, ex mentis aegritudine regimini minus idonei curator, ac Pruſſiae adminiſtrator crearetur. Annuit Rex, & in proximis anno 1578. comitiis, Georgium Fridericum ſollemni more clientem recepit, Electoris Brandenburgici legatis, ac ſi & ad illam ſtirpem jus beneficiarium pertineret, vexillum contrectantibus, cui Polonae nobilitatis nomine contradictum (†).

(*) LENGN. T. III, 237-249. HEID. p. 111-115.
(**) LENGN. T. III. p. 253, 254. HEIDENST. p. 115, 116, BIELSC. p. 743-753.
(†) SVLICOV. p. 100. 101. 102. HEIDENST. p. 115. 120. LENGN. T. III. p. 257. 280.

§. VII. In memoratis modo comitiis, duo ſuprema judicia, tribunalia vocantur, in regno conſtituta, ad quae ab inferioribus provocatio eſſet, alterum majoris Poloniae, Petricoviae, alterum minoris, Lublini habendum (*). Cujusmodi judicia anno 1581. Litvaniae contigerunt. Cum autem Rege motibus Gedanenſibus diſtracto, Moſcus Livoniam invaſiſſet, bellum in ipſum decretum, hoſtesque ad Vendam, quam obſederant, ductu An-

dreae

dreae Sapiehae, profligati & caſtris exuti. Ne tamen, dum in Moſcum verterentur arma, Tattari vicinas ſibi terras popularentur, aut Coſaci incurſionibus ſuis in Moldaviam, Valachiamque illos laceſſerent, promiſſum Tattaris donativum, Coſacis autem terror injectus, Joanne Podkova, qui nuper eos in Moldaviam duxerat, capite multato. Paratis, quae bello neceſſaria, Rex ipſe exercitum in hoſtem duxit, ac die undecima Auguſti a. 1579. Polociam, Litvaniae ad Dunam civitatem, tempore Sigismundi Auguſti amiſſam, ac operibus & praeſidio admodum munitam obſedit: quam poſt acrem defenſionem menſis illius trigeſima die ad deditionem coëgit. Recepta dein Turovla, Socala, & Suſa in agro Polocenſi caſtella: illud quidem hoſtes ultro deſeruerunt; iſtud a Meletio Palatino Podoliae & exercitus Poloni ſupremo Duce expugnatum, praeſidiariis caeſis aut captis; hoc ſponte ceſſit, permiſſo illis, qui inſederant, libero abitu. Tum exercitus inopia & laboribus attritus, in hiberna dimiſſus, & Rex ad comitia Varſaviam repetiit (**).

STEPHANVS. 1578.

1579.

(*) VOL. CONSTIT. p. 325.

(**) HEID. p. 119. 140. BIELS. p. 756-767.

§. VIII. In illis bellum perſequi placuit, quod ſcitis novis tributis (*), Rex

STEPHANUS. 1580.

ipſe iterum adminiſtrare decreverat. Finitis comitiis, Varſavia Grodnam, inde Vilnam contendit, omni cura in ea, quae uſui futura incumbens, a Joanne Zamoiſcio, majore regni Cancellario, ſtrenue adjutus. Fruſtra hoſtis pacem & dum de pace ageretur inducias offerebat, Rex enim, ſummi Pontificis nomine, enſe & pileo ſacrato Vilnae donatus, menſe Julio anni 1580. ad Ciaſnicium, in palatinatu vitepſcenſi, copias contraxit, Vielcolucos, munitam in finibus Moſcoviae prope dictum palatinatum civitatem, oppugnaturus. Sed antequam exercitum admoveret, Vieliſium a Zamoiſcio, Uſviata a Palatino Vilnenſi & ſupremo Litvanorum praefecto, Radzivilio, capta. Coepit Vielcolucorum obſidio viceſima ſexta Auguſti, cum quinto ante die praeſidiarii incenſa civitate in arcem ſe recepiſſent. Arx, cum per excitatum incendium vim ſuſtinere non poſſet, ſexta Septembris impetu expugnata, ac pulvere a flamma correpto, praeter magnam hominum aedificiorumque ſtragem, praeda omnis igne abſumta fuit. Acceſſerunt Nevela, Jeſeriſcia & Savolocia ſub poteſtatem Regis redactae; Moſcicis legatis, qui in caſtra venerant, fruſtra ut pacem obtinerent laborantibus (**).

(*) VOL. CONSTIT. p. 356.

(**) HEI-

(**) HEIDENST. p. 145-163. BIELS. p. 768-777. SVLIÇOV. p. 128-131.

STEPHANVS. 1581.

§. IX. Hoc rerum ſucceſſu nihilominus Polonos belli taedium ceperat, ut in comitiis initio anni 1581. Varſaviae habitis, equeſtris ordo finem illo anno imponi Regem oraret; quod deſiderium legati Moſcici, pacem ambitioſe oſtentantes, intenderant. Neque Rex averſus erat, ſi modo hoſtis tota Livonia cederet. Hunc in finem, tertiam obire expeditionem induxit, novis tributis conſenſu Ordinum imperatis. Serius tamen eam ingreſſus, nova ſpe pacis injecta, & militibus lente confluentibus. Habito extra fines Litvaniae conſilio, Pleſcoviae obſidio decernitur, quo cum tendit exercitus, in caſtris ad Voreneciam Zamoiſcius Regni Cancellarius, ſupremus militiae polonae Praefectus renunciatur, & mox Oſtrovia expugnatur. Rex die 25. Auguſti ad Pleſcoviam conſiſtit, munimentis, praeſidio & omnium rerum copia validam ac cuicunque vi ſuſtinendae parem. Poſitis idoneo loco caſtris, & excitatis, quae in obſidionibus fieri ſolent, operibus, muri tormentis quatiebantur, eo ſucceſſu, ut per illorum ruinas, ante medium Septembrem binis locis impetus fieret, num forte in urbem penetrari poſſet: conatus tamen fru-

ſtra

STEPHANVS. 1581.

ſtra erat, quod qui in muros evaſerant, ac ſigna ibidem fixerant, recedere coacti. Prima poſtea cura, hoſtem commeatu interclusum, fame debellare, habitusque miles, magno ex frigore incommodo, per hiemem in caſtris, cui Zamoiſcius ſummo cum imperio praeerat, poſtquam Rex die prima Decembris, cum aulico comitatu ac voluntariis, Litvaniam repeteret. Ante abitum tamen de pace legatos deſignabat, quam auctoritate ſummi Pontificis Gregorii XIII. cujus ſtudium Czarus miſſis Romam oratoribus obtinuerat, Antonius Poſſevinus, e ſocietate Jeſu, conciliare annitebatur. Placuit pro colloquiis pagus Moſcicus Zapolia, viginti Pleſcovia milliaribus, ſed hoc a Coſacis incenſo, in alio pago Kiverova horca dicto, congresſus fuerunt habiti. Coeperunt tertio decimo Decembris anni 1581. ac quinto decimo Januarii ſequentis anni finiti, pace in decem annos compoſita: qua Rex, quicquid in Moſcovia occupaverat reſtituit, & Czarus viciſſim, quicquid in Livonia tenebat, ceſſit; Polocia autem cum caeteris, quae in Litvania recuperata, magno huic ducatui relicta. Pacis tabulae Zapoliae nomen, ac ſi ibidem confecta eſſet, praeferunt. Finito hoc modo bello, quinquemeſtris Pleſcoviae obſidio ſoluta, & Zamoiſcius ſexta Februarii, caſtra inde movit (*).

(*) HEI-

(*) HEIDENST. p. 165-193. BIELS. p. 778-788. POSSEVINI *Moscovia* p. 82. s. STEPHANVS.

1582.

§. X. Pace composita, Rex duodecima Martii Rigam venit, ut Livoniae statum propius inspiceret, misitque legatos ad Regem Sveciae, Esthoniam, veterem Livoniae portionem, repetitum. Sub finem autem illius anni, Varsaviae ex Senatorum consilio, provincia ista, cui ante Georgius Radzivilius, Episcopus Vilnensis impositus, in tres tractus *praesidatus* appellatos, Vendensem, Derpatensem & Pernaviensem divisa fuit, singulos a singulis Praesidibus regendos, praeter quos, unus Episcopus, cujus sedes Vendae esset, tres Succamerarii, totidem Vexilliferi, judicia terrestria & Praesidum, ac publici conventus instituti, tum liber usus augustanae confessionis assertus, ac alia sancita (*). Praecesserunt comitia, quae tamen suspicio, ac si Rex aliquid in liberam futuri Regis electionem moliretur, irrita reddiderat (**). Secuta de piltensi tractu 1583.
in Curlandia cum Rege Daniae Friderico II. lis, fratre ejus Magno, qui illum tenuerat, anno 1583. mortuo: sed proximo ita transactum, ut Rex Daniae pro sua postulatione, triginta nummorum imperialium millia acciperet, quam summam Dux Prussiae, Georgius Fridericus, praestitit,

tractu

STEPHANVS. 1584. tractu piltensi ipsi pignoris jure concesso (***). Incidit in haec tempora causa zboroviana, quae multorum animos a Rege alienavit, & Ordines magno reipublicae malo per diversa studia distraxit. Erant quatuor fratres Zborovii, Joannes Castellanus Gnesnensis, Andreas Mareschalcus curiae Regni, Samuel & Christophorus, suis minus, quam cognatorum opibus validi. Samuel ob Vapovii caedem, in Transilvania exulans, cum Rege in Poloniam redierat, & licet poena nondum solutus, quasi comitum manus, qua semper cinctus, tutum a legibus praestaret, libere versabatur, Turcos etiam, cum quibus pax, per incursiones Cosacorum lacessens. Praeterea cum fratribus Andrea & Christophoro in Regem conspirasse arguebatur, gravibus & in Zamoiscium jactatis minis: qui ut turbulenti hujus viri molitionibus occurreret, ac olim jam damnatum puniret, prope Cracoviam muneris sui auctoritate, quod tractus illius Praefectus, Capitaneum vocamus, erat, prehendi, & in arce Cracoviensi die 26. Maji anni 1584. capite plecti jussit. Ante supplicium de conjuratione in Regem interrogatus, crimen hoc in Andream & Christophorum fratres transferebat: qui, habito Lublini mense Augusto Senatus consilio, ad comitia, ut causam dicerent, cita-

citabantur. Coeperunt illa, circa medium Januarii anni 1585. in quibus Christophorus ſolus, abſens tamen, praeter conjurationem, acceptae a Moſco bello fervente pecuniae, ut turbas in regno excitaret, reus agebatur, & poſt defenſionem ac cognatorum fratrisque Caſtellani Gneſnenſis deprecationes, publicatis bonis, fama & capite damnabatur. Cauſa Andreae ad futura comitia rejecta fuit (†). STEPHANVS. 1585.

(*) JANVSZ. *Stat.* p. 996.

(**) HEIDENST. p. 201. ſ. SVLICOV. p. 146. BIELS. p. 791.

(***) HENN. *Chr. Liv.* f. 73. 76. LENGN. T. III. p. 442. HEIDENST. p. 234.

(†) HEIDENST. p. 218-233. BIELS. p. 795-802. SVLICOV. p. 150. 168.

§. XI. Aegre ferebant ſententiae ſeveritatem, quibus cum Zboroviis cognationis, aut alia jura erant, vel qui exemplo illo, nobilitatis immunitatem peti credebant, adeo, ut pars equeſtris ordinis lato decreto publice contradiceret, & comitia nullo Ordinum ſcito ſolverentur (*). Senatus tamen, regium diploma jam ſuperiore anno Gedanenſibus datum, quo ſanctiones Karnkovianae abrogatae, portorium novo modo ordinatum ac alia in rem civitatis conſtituta, ſuo aſſenſu probavit

STEPHANVS. vit (**). In Livonia Pernaviae & Rigae ex *Calendario* novo, cui a Gregorio Papa
1585. nomen, motus orti, qui Pernaviae statim compressi, Rigae autem in gravem seditionem eruperunt, quam cum Rex poenis vindicare decrevisset, mors intercessit
1586. (***). Post comitia Cracoviam inde Grodnam abierat, omni cogitatione in bellum Moscicum conversus, & ut consentirent Ordines, ad secundam Februarii anni
1587. 1587. comitia indicta erant. Sed inceptum frustra fuit, cum Rex duodecima Decembris anni 1586. aetatis quinquagesimo quarto, & Regni undecimo, nulla ex uxore Anna prole, obiret. Mors quod improvisa, a multis, licet quarto aut sexto die morbi secuta, repentina habebatur, ab aliis veneno, ab aliis medicorum imperitiae ac dissensionibus attributa: ipsis medicis post obitum, de morbo ac medendi modo acriter inter se contendentibus (†). Et Stephanus quidem regno praemature ereptus, cujus gloriam & potentiam longiore vita in majus extulisset, fama & opibus, per ea, quae domi forisque gesserat, insigniter auctis, quibusque ampliora animo destinaverat. Zboroviis tamen & qui in illorum partibus, peropportune occidit, quod tempus adesse rati, quo Principe sibi indulgentiore electo, Zamoiscio, cujus auctoritas offecerat, praevalerent,
&

& ex illius ruina novas ſibi vires circumdarent. STEPHANVS. 1586.

(*) HEIDENST. p. 233. SVLIC. p. 168.

(**) LENGN. T. III. p. 454. ſ. CVRICKII *Chr. Gedan.* p. 164.

(***) HEIDENST. p. 236. 239. KELCHII *Hiſt. Liv.* p. 410. ſ. 414. 417.

(†) HEIDENST. p. 237. ſ. BIELSC. p. 803. LENGN. T. III. p. 472.

CAP. III.
DE
SIGISMVNDO III.

§. I.

Interregnum, quod mortem Stephani excipiebat, diſcors & turbulentum fore, facile ex diverſis ſtudiis, Zamoiſcio aliis, aliis Zboroviis addictis, colligi poterat. Aderant in comitiis convocationis, ad diem ſecundam Februarii anni 1587. indictis, duo Zborovii, Caſtellanus Gnesnenſis & curiae Regni Mareſchalcus, ac ex illorum amicis plurimi: inter quos Palatinus Posnanienſis, Stanislaus Gorka, & Stanislaus Czarncovius apud Nobilitatem validus, praecipui. Multa ab his in abſentem Zamoiſcium, inani tamen conatu dicta, SIGISMVNDVS III. 1587.

SIGISMUNDUS III. 1587.

dicta, tentatumque frustra, num latum in Christophorum Zborovium, qui in Moravia exulabat, decretum rescindi, ac Samuelis mors concessa adversus Zamoiscium actione vindicari possit: quibus conditionibus pariter cum illo transigere spondebant. His enim omissis, Ordines judicia per interregnum ordinant; pacem inter dissidentes de religione, Episcopis, quia impedire nequibant, permittentibus, roborant; externae securitati prospiciunt; ac regiae electioni diem tricesimam Junii decernunt (*).

(*) HEIDENST. p. 243. s. PIASEC. p. 55. s. VOL. CONSTIT. p. 407.

§. II. Venit ad comitia electionis sub Varsaviam, Zamoiscius cum armatorum manu non modica, quae justi exercitus praebebat speciem. Palatinum Posnaniensem Gorkam, Zborovios, illisque addictiores, decem circiter millia sequebantur: neque alii proceres suis copiis erant destituti, ac si novus Rex inter arma creandus, & post conflictus a victore victis imponendus esset. Huic & aliis ex discordia malis ut occurreretur, Zamoiscium & Zborovios reconciliare laboratum, quod cum non successerat, Zborovii ferociores, nec minis nec caedibus temperabant, ac praelio cum Zamoiscio dimicassent, nisi in-

instructas jam acies interventus quorundam Senatorum stitisset. Suis tamen postulationibus tempus illi terebant, sumtaque inde occasio concitandi nobilitatem ad extraordinarium foedus, *Rokos* vulgo vocatum, quasi pro publica libertate adversus optimatum socordiam insurgendum esset: quod Primatis Stanislai Karnkovii & aliorum vigilantia impeditum, cum electionem regiam, sexta jam a comitiorum initio hebdomade, perficere anniterentur. Candidati Regni ferebantur, Ernestus, Matthias, Maximilianus, Austriae Archiduces, Rudolphi II. Caesaris fratres; Moscorum Czarus Fedor, & Regis Sveciae filius Sigismundus: pro quibus legati decima quarta & sequenti Augusti auditi, ita quidem, ut summi Pontificis Nuntius, Principem catholicum; Caesaris, Regis Hispaniae, Electorum Germaniae, Archiducum Austriae & Ducis Prussiae Oratores, tres fratres Caesaris, ut ex iis unus legeretur; caeteri illos, quorum nomine missi, commendarent. Admissi simul Transilvanici legati, qui tamen non regnum, sed quae ex defuncti Regis facultatibus jure haereditario Battoreis deberentur, petebant. Omnia haec absentibus Litvanis acta, qui positis trans Vistulam ad Kamienam tentoriis, seorsum consultabant, & in quem

SIGISMVNDVS III.
1587.

SIGISMVNDVS III. 1587.

inclinaturi Poloni e proximo ſpeculabantur. Hi inter Maximilianum Auſtriacum & Sveciae Principem Sigismundum diſtracti erant, prioremque Zborovii & qui in illorum partibus, poſteriorem caeteri volebant. Erat Sigismundus per matrem Sigismundi I. nepos, & Jagellonicae domus progenies, Sveciae quidem haeres, in ſpem tamen regni poloni in religione catholica educatus, ac linguam polonicam tanquam patriam edoctus. Conciliaverat ipſi procerum & nobilitatis animos Regina vidua, oblatis etiam in publicum uſum de ſuo centum florenorum millibus, acceſſerantque omnes, qui ab Auſtriacis alieni aut Zboroviis adverſi erant, Zamoiſcio robur & firmamentum partibus adjiciente (*).

(*) HEIDENST. p. 245. ſ. PIAS. p. 58. SVLICOV. p. 187.

§. III. Perſtabant in ſuo candidato, & qui Sigismundo, & qui Maximiliano addicti, adeo, ut tanquam non unius reipublicae Ordines, binis in locis conſultarent. Erat undeviceſima Auguſti dies, cum Primas, nulla diſſentientes flectendi ſpe, Sigismundum, Poloniae Regem & magnum Litvaniae Ducem declararet: quae dignitas in Zborovianorum concilio, die viceſima ſecunda ejusdem menſis voce de-

designati Episcopi Kijoviensis, Jac. Veronecii, Maximiliano Archiduci collata fuit: quatuor tantum praeter unum illum Episcopum, Senatoribus & modico nobilitatis numero, in quo damnatus ante biennium Christophorus Zborovius, qui fratrum & amicorum opibus confisus ex Moravia ad electionem venerat, praesentibus. Litvani neutram electionem probantes, ex suo campo domum redibant, nisi quod duo fratres Radzivilii, Episcopus Vilnensis simul Cardinalis, & Castellanus Trocensis, studium in Maximilianum publice profiterentur, a quo & Chodkievicii alieni haud erant. In hac Ordinum dissensione, pars, quae Sigismundum elegerat, novo conventu pro publica tranquillitate ad diem quintam Octobris Visliciam indicto, cum legatis Regis Sveciae, Erico Sparrio & Erico Braheo, pacta ex more constituebat, quibus praeter foedus cum Regno Sveciae adversus finitimos hostes, nomine novi Regis, loca in Livonia a Svecis occupata; classis in usus Poloniae & Litvaniae; tormenta bellica & praeter ea, si Novogardia, Plescovia aut Smolenscum obsideretur, pulvis & globi; debitorum quorundam remissio & juris in summas Neapolitanas cessio; quinque propugnacula in finibus excitanda; pacis inter dissidentes de religione ac omnium

SIGISMVNDVS III.
1587.

SIGISMVNDVS III. 1587.

jurium & ſtatutorum regni, tum articulorum Henricianorum conſervatio; nominum nonnullorum ſolutio; ſumtus in regni defenſionem, dum Rex advenerit, & alia quaedam promittebantur: quae omnia a legatis jurejurando firmata fuerunt. Tum Regem, nominatis, qui eum ex Svecia arceſſerent advenientemque Gedani exciperent, Zamoiſcius tanquam Regni Cancellarius, propter Mareſchalcorum abſentiam, iterum publice renunciavit. Qui Maximiliano addicti, non minus ſcriptis pactis, ipſum ut quam primum adeſſet, invitarunt: ad quem & ab altera parte duo miſſi legati, qui electionem, quod a paucis & creato jam a potioribus Rege peracta, minus legitimam edocerent (*).

(*) HEID. p. 259. PIASEC. p. 61. SVLICOV. p. 193. VOL. CONSTIT. p. 430. ſ. p. 451. ſ.

§. IV. Comitiis electionis per receſſionem finitis, Zamoiſcius Cracoviam, Zborovii Visliciam occupant, ad quam civitatem nihilominus Sigismundo addicti, quos copiis ſuis tuebatur Zamoiſcius, tempore conſtituto conventum habent: in quo roborata Sigismundi electione, miſſisque ad Maximilianum, ne Poloniam ingrediatur, litteris ac legatis, Zamoiſcio tanquam exercitus Duci, regni defenſio man-

mandatur,& urgente neceſſitate,generalis nobilitatis expeditio decernitur (*). Intrat Maximilianus menſe Octobri, ex Sileſia palatinatum cracovienſem cum ſex millibus, quibus Zborovii & alii, qui in partibus, ſuas copias jungunt. Prima erat cura, Cracovia, ubi regni inſignia asſervantur, potiri, quam Zamoiſcius cum valido praeſidio tenebat, proviſis quae ſuſtinendae obſidioni idonea futura. Tentata urbs blandioribus litteris, oſtentato in regnum jure, adjectae minae, & ſub finem Novembris vim experiri placuit. Factus enim in munimenta impetus, quem fortiter repreſſit Zamoiſcius,ut hoſtes, amiſſis, praeter captivos, mille & quingentis, ac octo tormentis cum apparatu militari in praedam relictis, Czenſtochoviam verſus recedere cogerentur. Geſtae rei nuncium Rex Sigismundus in itinere Corcini recepit: qui ad oram Prusſiae, claſſe viginti quatuor navium, die viceſima octava Septembris appulerat, ingreſſumque prima Octobris Gedanenſem portum, legati Poloni in navi ſalutaverant: & mox de probandis pactis actum, diſceptatumque de locis Livoniae, ſeu Eſthonia Poloniae cedenda, donec hoc negotium poſt Regis Sveciae mortem differretur: neque aliter Rex in Olivenſi monaſterio in pacta conventa, niſi condi-

SIGISMVNDVS III. 1587.

SIGISMVNDVS III. 1587. tione de Esthonia seposita, juravit. Gedani decretum electionis ipsi exhibitum, unde vicesima Octobris Cracoviam profectus, quam urbem, hostium insidiis Przodborsii circuitu per Ravam & Sendomiriam vitatis, nona Decembris ingrediebatur. Antequam inauguraretur, nova de Esthonia contentio, maluitque Rex regno cedere, quam provinciam illam Polonis addicere, fide, dum abiret, patri data obstrictus, ne jus Svecorum consensu suo imminueret. Placuit quod hac de re in portu Gedanensi nuper convenerat, ac Regi die 27. Decembris sollemni ritu ab Archiepiscopo Gnesnensi regni insignia tradita orsusque Sigismundus, illius nominis tertius, regimen, quod in annum quadragesimum quintum, varia fortuna, magis tamen adversa quam secunda, gessit (**).

(*) VOL. CONSTIT. p. 438.

X (**) HEIDENST. p. 364-378. PIAS. p. 63. s. LENGN. T. IV. p. 23. s.

§. V. Post inaugurationem, in comi-
1588. tiis Zamoiscio injunctum, Archiducem Maximilianum, qui in tractum Vielunensem novas copias expectaturus recesserat, armis persequi (*). Is media hieme, mense Januario anni 1588. Cracovia movit, ad cujus adventum Maximilianus, viribus

viribus ſuis diffidens, Biczinam in finibus Sileſiae ſe recepit: quem inſecutus Zamoiſcius, inſtructum ſub oppido exercitum, viceſima quarta Januarii profligavit, ac Archiducem intra muros & ad deditionem compulit, qua captivitatem, liberaliter tamen & pro dignitate habendus, donec de regno controverſia componeretur, ſubiit. Qui circa ipſum, ſe pariter victori permiſerunt, ita, ut exteri, qui tenuioris conditionis, gratis, qui inſigniores, ſoluto pretio, de quo conveniret, dimitterentur; ex Polonis autem milites gregarii poſt ſacramentum Sigismundo & Reipublicae dictum, patriam ſuam repeterent; praecipui vero, in quibus Palatinus Poſnanienſis Gorka & curiae regni Mareſchalcus Zborovius, vita & fama ſalvis, Regis & Senatus arbitrio ſervarentur. Praeda militi ceſſit, oppidum incenſum, & vicina loca vaſtata. Potior tamen ex victoria & Maximiliani captivitate fructus, quod qui vel Sigismundo palam adverſi, vel inter eum & competitorem medii, jam obſequium profiterentur, totaque Litvania in ejus verba juraret. His actis, menſe Majo, Regis Stephani exequiae Cracoviae celebratae, quibus Regina vidua, Rex & ejus ſoror interfuerunt. Quod autem ad Maximilianum attinet, is poſt liberam Craſnoſtaviae cuſtodiam, ſequenti

SIGISMVNDVS III.
1588.

SIGISMUNDUS III. 1589.

quenti anno dimiſſus, ac ad fines Sileſiae deductus: conſtituto antea cum legatis Caeſaris, ut Archidux jure in regnum cederet, & titulo Regis Poloniae abſtineret, pactumque, praeter illum, Caeſar, tota domus Auſtriaca, ac Ordines Bohemiae & Ungariae jurejurando roborarent; quod & a Rege Sigismundo, ſed a Maximiliano ſerius, quam convenerat, factum. Qui ex Polonis illius partes ſecuti, in regiam gratiam, bonis & dignitatibus ſalvis, recepti, ſolo mareſchalcatu curiae ab Andrea Zborovio in Stanislaum Przyiemſcium translato (**).

(*) VOL. CONSTIT. p. 474. tit. *Aſſekuracya.*

(**) HEIDENST. p. 379. ſ. PIAS. p. 68. 74. VOL. CONSTIT. p. 507. tit. *Tranſakcya* p. 512. tit. *Adherentowie.*

§. VI. Eodem anno, Tattari in Ruſſiam & Podoliam ſe infuderant, qui clade multati, cum praeda & captivis ſua repetebant. Major ex Turco metus, qui contracto ad fines exercitu, incurſiones Coſacorum bello vindicare minabatur: ſed rediit ſecuritas, pace his conditionibus, ut Coſaci in poſterum coërcerentur & legatus ad aulam Turcicam mitteretur, firmata. Aberat tum Rex Revaliae in Eſthonia, ubi patrem Ordinum conſenſu inviſit, de rebus Svecicis conſultaturus. Poloni

loni

loni qui circa eum, ob Tattarorum populationes & Turcici belli metum, reditum in regnum urgebant, quem cum permittere pater tergiversaretur, orta suspicio, ac si filium detinere & in Sveciam reducere vellet, sparsusque rumor de regno Archiduci Austriae Ernesto, certis legibus tradendo. Sigismundus tamen die decima Octobris Revalia decedens, initio Decembris Varsaviam rediit. Anno 1590. novus terror a Turcis injectus, qui per insolentiam tributum postulare, secus exitium minitari, quasi in eorum manu esset regnum evertere. Tota ergo Polonia bellico apparatu strepere, qui cessavit, cum legatus Reginae Angliae, Constantinopoli pacem procurasset (*). Cum Moscis anno 1591. induciae in annos undecim prorogatae, ita tamen, ut illis salvis, patri auxilia ferre Regi integrum esset. Firmata hoc modo externa tranquillitate, domesticis dissidiis Polonia agitabatur, quod Rex in dies suspectior, quasi regnum in domum Austriacam transmittere vellet, novo argumento, cum ex illa uxorem ducere constituisset. Accedebant querelae, quod de illo ipso matrimonio, ad Ordines non relatum, ac nonnulla fierent, quae pactis conventis ac legibus adversarentur. Rex caeteris, quibus premebatur, ad comitia rejectis, die prima Maji anni

SIGISMUNDUS III. 1589.

1590.

1591.

1592.

SIGISMVNDVS III. 1592.

1592. cum Anna, Caroli Archiducis Austriae filia, Ferdinandi primi Caesaris nepte, Viennae per legatum Albertum Radzivilium, Litvaniae Mareschalcum, matrimonium iniit, ac illius mensis die ultimo Cracoviae nuptias celebravit, junxitque novam uxorem Regi christiano ritu, Cardinalis Radzivilius Episcopus Cracoviensis, a summo Pontifice ad hunc actum legati titulo decoratus; Episcopus autem Cujaviensis Hieronymus Rozrazevius, Archiepiscopo Gnesnensi decumbente, Reginae diadema imposuit (†).

(*) HEIDENST. p. 286. s. PIASC. p. 76. 80. 82. LENGN. T. IV. p. 67. 72. 99.

(†) HEIDENST. p. 294. s. PIASEC. p. 97. LENGN. T. IV. p. 142. 143.

§. VII. Comitia Varsaviae sexta Septembris coeperunt, ubi omissis aliis, in Regis acta & consilia eorumque auctores inquirere placuit. Rex vero, ut exagitatos suspicionibus & rumoribus animos componeret, scripto asseveravit, neque regnum deserere neque jura ejus minuere voluisse, addito, licet rationes suae praesentiam in Svecia exigant, non tamen se repugnare, quo minus legati mittantur; si quando autem pater moreretur, in haereditarium regnum, nisi Ordinum in comitiis consensu haud profecturum. Sed non

non omnes flexit haec Regis declaratio, verum comitia undevicesima Octobris contradictione solvebantur. Nova mox exegit Regis Sveciae die vicesima quinta Novembris defuncti, obitus, ad quartam Maji anni 1593. indicta, ut ab Ordinibus adeundi paternum regnum fieret copia: qui in iter consenserunt, reditu intra annum a Rege promisso. Simul libera electio nova lege roborata, & in eos qui adversus eam aliquid molituri, judicia & poena decreta fuerunt. Tertia Augusti, Rex cum Regina & sorore Anna, Varsavia discessit ac Vistula Gedanum vectus, in Sveciam trajecturus. In hac civitate, inter regium famulitium & aliquam plebis partem, ex levi causa tumultus ortus, non sine Regis discrimine, explosis in domum, ubi hospitabatur, bombardis. Decima sexta Septembris ex portu Gedanensi solvit, classe Svecica quadraginta navium excipiente: ipse vectus Batava, vicesima septima cum quatuor navigiis, caeteris per tempestatem dispersis, portum Elfsnabiensem, & ultima illius mensis Holmiam ingrediebatur. Die prima Martii anni 1594. Sigismundo & uxori, Upsaliae ab Archiepiscopo illius loci, diadema impositum, cum Rex antea Svecos de religione sua & juribus, per diploma securos esse jussisset. Non tamen haec sponsio

SIGISMUNDUS III.

1593.

1594.

SIGISMVNDVS III. ſponſio metum eximebat Svecis, nec minus Rex civibus, ac patruo ſuo, Carolo Sudermanniae Duci, diffidebat, adeo ut
1594. in praeſidium copias ex Polonia acciret. Dein ordinata republica, ac vicario regimine Carolo mandato, ex portu Elfſnabienſi in Pruſſiam claſſe revectus, die decima ſexta Auguſti, Gedanenſem portum intravit (*).

(*) HEIDENST. p. 299. PIAS. p. 100. ſ. VOL. CONSTIT. p. 636. LENGN. T. IV. p. 149. 157. 166. 168. 171. 173. 181. 183. LOCCEN. *Hiſt. Svec.* lib. VII. p. 417. ſ. LVBIENS. *prof. Sigism. in Svec. oper.* p. 1. ſ.

§. VIII. Dum Rex in Svecia abeſt, venit menſe Februario anni 1594. ad regni Primatem Caeſaris legatus, rogans, ne Tattaris tranſitus per Poloniam in Hungariam permittatur, ſimul foedus adverſus Turcos offerens. Huic ex Senatorum conſilio reſponſum, de foedere niſi Rege praeſente, nil ſtatui poſſe, Tattaros autem aditu prohibitum iri. Sed hi menſe Julio, per Pocutiam, Ruſſiam rubram & montes Carpates in Hungariam penetrarunt, magna, qua iter fecerant, locorum clade, Polonis fruſtra inſequentibus.
1595. Poſtero anno Caeſar iterum de foedere contra Turcos nullo ſucceſſu agit, negotio hoc in alia comitia rejecto: quae dum expe-

expectantur, Zamoiſcius ſupremus exercitus Dux Moldaviam, quam Valachiam alii vocant, a Principe Tranſilvaniae Sigismundo Batorio occupatam, Regno aſſerit, ac Jeremiam Mohilam, lege fiduciaria Palatinum imponit. Aegre id ferentes Tattari, cum ſeptuaginta millibus Moldaviam ingreſſi, quos Zamoiſcius caſtris prope Cicoram conſidens, poſt ſecundas velitationes ad pacem adegit, qua Mohilae Moldavia permiſſa, cujus dignitatem Turcorum Caeſar ratam eſſet habiturus. Mox a Tranſilvanis provincia turbata, quos Poloni, Palatino in praeſidium relicti, profligarunt. Eodem tempore Coſaci inſurrexerant, caede ac rapinis Ukrainam vexantes, ut Zolkievius minor exercitus Dux, in eos quaſi in juſtum hoſtem arma vertere neceſſe haberet: ſed caedibus coërciti, metu gravioris mali obſequium profitebantur. Anno 1596. Varſaviae, tempore comitiorum, foedus contra Turcos cum Caeſaris legatis tractatum, duobus nunciis Papae ſuam operam conferentibus; nihil tamen potuit conſtitui, quod qui a Caeſare miſſi, facultatem hanc ſibi eſſe negarent. Nova ergo colloquia menſe Auguſto Cracoviae, coram Cardinale Cajetano, qui nuncius extraordinarius a ſummo Pontifice venerat, inſtituta, quae, cum foederis leges haud

SIGISMVNDVS III. 1595.

1596.

SIGISMVNDVS III. 1596.

haud convenire poterant, poſt aliquot dies ſine ullo fructu finiebantur (*).

(*) HEIDENST. p. 304-340. PIAS. p. 119. ſ.

§. IX. Inter haec, Sigismundum Svecorum molitiones ſolicitabant, qui illo nequicquam prohibente, menſe Octobri anni 1595. Sudercopiae comitia habuerant, ubi Ordinum auctoritate, novae leges ſancitae, ac Carolus Sudermanniae Dux, Regis vicarius, regni adminiſtrator renunciatus: quo poteſtatem ſuam non Regis ſaltem, ſed & populi nomine exerceret, neque in ſolius Regis arbitrio eſſet regimen ipſi abrogare. Id Sigismundus moleſte ferre, & per legatos poſtulare, ut, quae Lincopiae conſtituta, reſcinderentur. Sveci contra, acta a ſe juribus & publica ſalute tutabantur, Carolus autem ut ſuſpicionem affectati regni, qua apud Regem laborabat, amoveret, regimine ſe abdicabat, quod tamen Ordinum precibus permotus, iterum ſuſcepit. Secuta

1597. anno 1597. altera comitia Arbogae, in quibus, ſcitis Lincopienſibus repetitis, Carolo mandatur in eos animadvertere, qui leges lincopienſes & arbogenſes intra ſex hebdomades non probaturi, ac providere, ne quid detrimenti ex inteſtinis disſidiis reſpublica capiat. Simul inter Ordines foedus initur, quo ſibi adverſus vim mutua

mutua auxilia promittunt. Non defuit Caroli opera, qua effecit, ut in memoratas leges juraretur, Finlandia, quae multum reluctata, armis compulsa. Plurimi tamen procerum, fugam sacramento praetulerunt, neque Esthonia minis adigi potuit. Quo etiam securitatis haberetur ratio, Holmiae, Elfsburgo & Calmariae imposita praesidia, ac caetera ita constituta, ut relicto regio titulo Sigismundo, vis regni penes Carolum esse videretur. Rex quo praesens nutantes Svecorum animos, in fide firmaret, ac patrui conatus reprimeret, consensu Ordinum in comitiis impetrato, die tertia Augusti a. 1598. cum quinque circiter militum millibus ex portu Gedanensi in haereditarium Regnum navigavit. Calmariam octava Augusti appulsus, hanc civitatem & Elfsburgum, amoto Caroli praesidio, occupavit, & Holmiam militibus vacuam, per Lascium cum aliqua manu insedit. Post haec Carolus, contractis copiis, Stegeburgum in Regem movit, qui commeatu interclusus Lincopiam recessit, quo cum secutus Carolus feliciter pugnavit, ac plane Regem profligasset, nisi oblata pax victoriam stitisset. Igitur Lincopiae, mense Octobri certis legibus transactum, in quibus non postrema, ut controversiae inter Sigismundum & Carolum, in comitiis Hol-

SIGISMVNDVS III. 1597.

1598.

SIGISMVNDVS III. 1598. miae intra quatuor menſes habendis, ab arbitris dirimerentur, addito, ſi alteruter pacta violaret, Ordinibus reſiſtendi poteſtas eſſet. Turbis hoc modo pacatis, Rex Holmiae expectabatur, qui clam Calmaria ſolvit, & quarta Novembris ad oram Pomerelliae appulſus, nona illius menſis Gedanum venit; praeſidiis ſuis Holmiae, Calmariae & Elfsburgi relictis (*).

(*) LOCCEN. VII. p. 424. ſ. LENGN. T. IV. p. 251. ſ. p. 274. 277. VOL. CONST. p. 686.

1600. §. X. Repentinus Regis ex Svecia abitus, qui fugae haud abſimilis, irrita reddebat, quae cum Duce Sudermanniae convenerant, & externorum militum praeſidia metum iniiciebant, velle Sigismundum Regnum legibus fundatum, armis premere: quo tamen Sveci liberabantur, praeſidiis ad deditionem ſubactis. Ut autem de Regis voluntate conſtaret, compellabant eum Sveci, ut rediret & paterno Regno praeſens in poſterum praeeſſet, aut filium ſuum intra ſex menſes mitteret, quo religione & moribus gentis inſtitueretur. Nullo ad haec reſponſo, Sveci Regi ſuo ejusque ſoboli, imperium in binis comitiis a. 1599. & 1600. abrogant, & Carolum Sudermanniae Ducem regni adminiſtratorem Regem deſignant: quam jacturam Sigismundus recuperandi

di spe solabatur, obfirmatus ab iis, qui auribus Principum blandiri sapientiam vocant (*). Deferebat tamen suas querelas ad Poloniae Ordines, ut in comitiis a. 1600. bellum in Svecos decernerent, quod illi aversabantur, rati, Regis privatam, non reipublicae suae causam agi. Nihilominus inviti ad arma compulsi, cum Georgius Farensbachius, Palatinus Vendensis, Esthoniam jussu, ut videbatur, Regis invaderet, & Carolus illatam sibi vim ulturus, Pernaviam & alia Livoniae loca occuparet. Ea tempestate, Jeremias Moldaviae Palatinus, regni cliens, a Michaele Valachiae Principe pulsus, ut praeter Chocimum ab hostibus tamen cinctum, nihil reliqui esset. Subvenit opportune Zamoiscius, qui hostes, ad ejus famam Chocimo recedentes, in Valachiam sequitur, ac Michaelem profligatum in Transilvaniam fugere adigit: in cujus locum restituta Jeremiae Moldavia, hujus fratrem Simionem lege fiduciaria Valachiae praeficit. His peractis, Zamoiscius mense Decembri a. 1600. exercitum in Poloniam reducit: post cujus abitum Michael quidem copiis contractis, Valachiam recuperare tentavit, sed a novo Palatino cum internecione suorum in fugam actus, Polonis, qui in praesidium relicti fuerant, fortiter rem gerentibus (†).

SIGISMVNDVS III. 1600.

 (*) LOC-

SIGISMVNDVS III.

(*) LOCCEN. p. 444.

(†) PIAS. p. 187. HEID. p. 351-364.

1601.

§. XI. Praeter Rigam, Dunae ostium, seu Dunamundam, ac arcem Kokenhusanam, totam Livoniam Sveci occupaverant, ipsamque hanc arcem, civitate jam subacta, obsidione premebant, cum in comitiis a. 1601. Ordines bellum propulsare constituerent, ac primariam ejus curam, Zamoiscio, aetatem, quod sexagenarius erat, frustra excusanti, mandarent. Hic dum expeditioni accingitur, Lituani relictum ab hostibus, qui ab arcis oppugnatione discesserant, in civitate Kokenhusana praesidium obsident, ac subvenientem Carolum, designati Regis Sveciae filium haud legitimum, die 23. Junii, ductu Palatini Vilnensis profligant: quo facto, praesidiarii liberum abitum pacti deditionem faciunt. Occupantur Venda & alia oppida, sed recedunt Lituani Dunam versus, Carolo designato Rege cum valido exercitu adventante, qui Riga frustra obsessa, Esthoniam repetit; dum Rex & Zamoiscius Livoniam mense Septembri ingrediuntur. Rex ultra Rigam non progressus in Lituaniam redibat, Zamoiscius vero copias medio Octobri Volmariae admovebat, quam post trium mensium obsidionem, oppidum quidem vi, arcem

arcem per deditionem cepit, praeſidiariis dimiſſis, Carolo, Caroli Regis filio haud legitimo, & Jacobo de la Gardie, illorum ducibus, qui ſe captivos Zamoiſcio tradiderant, in Poloniam abductis. Aliquot caſtellis ſponte illorum receptis, Felinum acriter reſtitit antequam ſubigeretur, Georgio Farensbachio, Palatino Vendenſi, in oppugnatione ex vulnere mortuo, ipſoque Zamoiſcio, cui glans ex bombarda fibulam cinguli ſtrinxit, ultimo diſcrimini obnoxio. Poſt expugnationem Zamoiſcius aliquo tempore in agro Felinenſi ſubſtitit, pecuniae, militum & aliarum rerum penuria conflictatus; praegreſſus vero in Eſthoniam Zolkievius, minor exercitus poloni Dux, Veſenbergam intercepit, & hoſtes paſſim fuſos, ſub ipſa Revaliae munimenta inſecutus eſt. Serius movit Zamoiſcius, cui Veiſenſteinum ſtrenue propugnatum ceſſit, Laiſium autem ſponte ſe dedidit. Tum milites moram ſtipendiorum non ultra ferentes, & laboribus, inopia & frigore feſſi dilabi, Zamoiſcius vero ſub finem anni 1602. in Poloniam redire, locis quae occupaverat & defenſioni idonea erant, praeſidiis, annona & omni apparatu firmatis, ac provinciae cura Carolo Chodkievicio, Samogitiae Praefecto, commendata (*).

SIGISMVNDUS III. 1601.

1602.

(*) HEID.

SIGISMVNDVS III.

(*) HEIDENST. p. 371-388. PIAS. p. 192. f. LOCCEN. p. 452-456.

1603. §. XII. Anno 1603. languebat in Livonia bellum, Chodkievicio copiis destituto, qui sequenti, Regem Sveciae Veisensteinum obsidione cingentem profli-
1604. gavit, & Dorpatum ad deditionem subegit. Sed annum 1605. insignior victo-
1605. ria memorabilem reddidit. Sveciae Rex in Livoniam, classe quadraginta navium appulsus, Rigam, provinciae caput, initio Septembris obsidebat, cum Comes Mansfeldiae, ex praecipuis copiarum praefectis unus, Dunamnndam a Polonis desertam occupasset. Castra habebat illo tempore Chodkievicius ad Dorpatum, unde Rigae subventurus movit, & ad Dunam inter Ixculium & Kirchholmiam, loco opportuno, cum duobus millibus & quingentis equitibus, ac mille peditibus consedit; Friderico Curlandiae Principe quingentos equites adducente, modico exercitui non leve auxilium, cum Dunam vadum nactus nando superasset, Aderat omissa obsidione, cum duodecim millibus Sveciae Rex, quem Codkievicius tanta virtute aggressus, ut post acerrimum quatuor horarum praelium, eum in fugam ageret. Hostium in acie octo seu novem millia occubuisse, & quingenti capti

capti dicuntur, ſigna ſexaginta ac tormenta undecim, cum caſtris victoribus in praedam ceſſerunt, & Carolus Rex ſaucius aegre evaſit. Hoc modo non tantum Riga obſidione, ſed ſimul tota Livonia magno diſcrimine liberata fuit (*).

SIGISMVNDVS III. 1605.

(*) LOCCEN. p. 459. PIAS. p. 210. 220. 226. 227.

§. XIII. Majorem tamen victoria Kirchholmenſis attuliſſet fructum, niſi ſegnius Poloni eadem uſi eſſent, animis per diſcordiam diſtractis & a Rege ſuo averſis. Multos offendebat, quod mortua anno 1598. uxore, defunctae ſororem, Conſtantiam, in matrimonium peteret, quaſi reipublicae officeret, iterum conjugem ex domo Auſtriaca, & moribus minus conveniret, prioris ſororem duci; licet utrumque in Sigismundo Auguſto toleratum eſſet. Obſtiterat maxime Zamoiſcii auctoritas, qui cum anno 1605. decederet, & cum ipſo praecipuum impedimentum amotum eſſet, ejusdem anni undecima Decembris nuptiae, Papae Pauli V. venia, Cracoviae celebratae, jungente novos conjuges Chriſtianorum ritu, Epiſcopo Cracovienſi, Maciejovio, Eccleſiae Purpurato, ac ſummi Pontificis in hanc rem legato, & Cujavienſi Epiſcopo, Tilitio, Reginae diadema imponente, quod mortuo Primate, Maciejovius deſigna-

SIGISMVNDVS III. 1605.

tus, dignitatem illam nondum adiisset. Qui aegre hoc Regis conjugium ferebant, simul suspicionibus exagitabantur, quasi Sigismundus filium Vladislaum successorem constituere, ac eligendi libertate abolita, solutiorem dominationem inducere vellet. Cumulum addebat querela, pacta conventa negligi, non impletis, quae Princeps reipublicae sacramenti religione promisisset (*).

(*) PIAS. p. 224. 228.

1606. §. XIV. Erupit indignatio a. 1606. nobilitate Cracoviensi initium faciente, quae ante comitia in diem septimam Martii indicta, in suo conventu Prosoviçensi, ea quibus affligi videretur respublica litteris consignabat, ac sub Palatino, Nicolao Zebrzydovio, Stenczyciam confluens, inde Varsaviam ad comitia mittebat. In his erant, quae de pactis & matrimonio Regis ac successione Vladislai retulimus; quibus de pace inter dissidentes, de moneta, vectigalibus, bonis regiis, exterorum in aula frequentia, & aliis, tum querelae tum postulationes adiiciebantur. Nec alia Equestris ordinis in comitiis mens, ut jam non unius palatinatus, sed omnium causa ageretur. Respondebat Rex ad objecta, inficiando alia, alia excusando, monebatque, ut omissis privatis

ſtudiis, in commune conſultaretur. Nihil moti, quibus conſtitutum, communibus malis nova adhibere remedia, aut qui ſua compendia publicis commodis velabant. Comitiis irritis, ex Equeſtri ordine plurimi Stenczyciam ſe conferre, ibique conventum Lublinum ad tertiam Junii edicere, ut, quibus patriae ſalus curae, & Senatores & nobiles adeſſent. In hoc congreſſu, ubi Senatores aliquot & frequens nobilitas, Joanne Radzivilio, Lituaniae Pincerna, Mareſchalco, decreta ad Regem legatio, poſtulatum, ut ipſe in alio conventu, prope Sendomiriam ſexta Augusti celebrando, rempublicam minus recte a ſe adminiſtratam fateretur, erroris aut culpae veniam rogaret, ac Ordinibus ſolutioris imperii metum eximeret. Adjecta foederis, *Rocos* vulgo dicti, comminatio, ni Rex annueret. Hic, habito Cracoviae cum frequenti Senatu conſilio, per Epiſcopum Cracovienſem & regni Procancellarium, congregatis ſub Sendomiriam demonſtrabat, ſe a ſuis pactis & regni legibus nunquam alienum fuiſſe, nec defuturum commodis reipublicae, ſi more majorum, omiſſo novo coëundi more, in comitiis conſultaretur. Haec a mente conventus Sendomirienſis plane aliena, qui perſtans in lublinenſi decreto, Regi diem dicit, quo niſi adeſſet, ſe, ipſo abſen-

SIGISMVNDVS III. 1606.

SIGISMVNDVS III. 1606.

te, reipublicae rationem habiturum aſſeverat. Mox foedus ſcribitur, quod obſtringeret, ea in quibns aberratum ad legum normam corrigere, ac huic conſilio adverſos, pro hoſtibus publicis habere. Ita *Rocos* fuit conflatum, velata peregrino vocabulo contumacia, a quo ejus ſectatores *Rocoſſianos* appellabimus (*).

(*) PIAS. p. 235. 237. LVBIENS. *de motu civili* lib. I. & II. *oper*. p. 40 - 75.

§. XV. Digreſſus interea Cracovia Visliciam Rex, ſuam & reipublicae cauſam Senatoribus & Equitibus, qui magno numero circa ipſum, permiſit. Hi, nonnullis conſtitutis, caeteris in comitia dilatis, ſingula cum Rocoſſianis communicant, & cum eos a foedere abducere nequeunt, ſe pro Regis dignitate & tranquillitate publica arctius jungunt. Nulla jam concordiae ſpe, Rex exercitum ad Visliciam contractum, fine Septembris in copias Rocoſſianorum ducit, quas ſub Palatino Cracovienſi & Litvaniae Pincerna ad Janovecium, ubi Viſtulae trajectus, aſſequitur. Inſtructa acie, Senatores cum Palatino & Pincerna colloquium habent, ac ita tranſigunt, ut Rocoſſiani privatis conventibus abſtineant, ac tranquilli comitia expectent. Tum Palatinus Cracovienſis, Pincerna Litvaniae, & eorum mili-

milites ad Regiam gratiam admittuntur (*). SIGISMVNDVS III. 1607.

(*) LVBIENS. l.c. p. 76-101.

§. XVI. Non tamen ideo a ſuo foedere receſſerunt Rocoſſiani, neque ab his ſejuncti Cracovienſis Palatinus & Litvaniae Pincerna, ſed in conventu Andrejoviam ad diem duodetriceſimum Martii a. 1607. indicto, irrita declararunt, quae ad Janovecium acta, arma imperantes in eos, qui conſociationem ſuam armis petituri. Fruſtra eos Rex ad comitia ſeptima Maji inchoanda vocabat, cum congreſſum ſuum Stenczyciam transferrent, Rege cum Ordinibus Varſaviae conſultante. Is quidem, ne praeſens libertati cenſendi officere videretur, initio Senatoribus & nobilitati, ſe abſente, conſilia conferre permiſit, deinde edixit, ut ſi quis ipſum regni deſerendi, & in alium transmittendi, aut regiminis ſolutioris inducendi, vel Senatores aliquos, quaſi horum conſiliorum auctores ſive miniſtri eſſent, arguere poſſet, is ſe certo die in comitiis ſiſteret, quo lectis ex utroque Ordine quaeſitoribus, judicium in reos haberetur (*). Sed accuſatore nullo, Rex nihilominus liberam electionem, & quaedam ex pactis conventis capita, novis legibus firmavit (**). Haec facilitas Rocoſſia-

SIGISMVNDVS III. 1607.

coſſianos contumaciores reddidit, qui in Stenczycenſi ſuo coetu, viceſimo tertio Julii, Regi regnum abrogant, & ipſi fidos, hoſtes patriae habendos ſanciunt, tribus ſaltem Senatoribus, Cracovienſi & Ravenſi Palatinis, ac Caſtellano Pernavienſi, tanti facinoris ſociis. Rex Rocoſſianos perjuros declaratos armis coërcere ſtatuit, & ad Varcam, oppidum prope Pilzam fluvium, aſſequitur. Jam ſignum pugnae dabatur, cum miles praelium detrectans, Palatino Cracovienſi, qui Rocoſſianos ducebat, evadendi Radomiam copiam faceret. Tertio Julii, ad Guzovo ultra Radomiam ſigna conferuntur, ubi initio nonnullorum fuga, dextra Regis ala turbata, ſed reſtituta hoſtes repreſſit, quorum dextrum cornu, ne tentato quidem conflictu, ultro terga vertit: in media acie acrius & dubio marte certatum, donec Rocoſſiani pellerentur. Ex his praeter ſaucios & captivos, mille ac ducenti deſiderati, regiorum triginta circiter caeſi & ſeptuaginta vulnerati (***).

(*) VOL. CONSTIT. p. 828.

(**) VOL. CONSTIT. p. 831. ſ.

(***) LVBIENS. l. c. p. 106-129. PIAS. p. 246-249.

§. XVII. Nihil mutavit haec clades Rocoſſianorum conſilia, quin etiam Rad-

zivili-

zivilius, Pincerna Litvaniae, ex praelio Lublinum delatus, Ordines, ut novum Regem eligerent, ad quintam Septembris sub Varsaviam convocare sustinuit, & Cracoviensis Palatinus, collectis quae diffugerant copiis, prope istam urbem constitit. Rex vero, cum Ordines de actis adversus foederatos edicto docuisset, nihil omisit, quo illos tandem ad officium reduceret, Senatoribus operam suam impigre conferentibus. Praeterea habitum ea de re mense Aprili a. 1608. Cracoviae Senatus consilium, ac effectum, ut Palatinus Cracoviensis, ibidem die decima sexta Maji Regi, Senatoribus praesentibus, se sisteret, ac impetrata factorum venia, obsequium profiteretur: dilatis ad proxima comitia, si quae in Reipublicae usum sancienda essent. Palatini exemplum caeteri Rocossiani secuti, dissolutumque foedus, quod diversa specie, privatum paucorum studium conflaverat (*).

SIGISMVNDVS III. 1607.

1608.

(*) LVBIENS. l. c. p. 133-152. PIAS. p. 250-252.

§. XVIII. Inter haec, Poloni bellum adversus Svecos in Livonia fere omiserant, quare Carolus, cui modo regium diadema Upsaliae impositum, anno 1607. Veissensteinam, nulla auxilii spe, ad deditionem subigebat. Sequenti anno, Polonis aut pacem perpetuam, aut inducias duo-

SIGISMVNDVS III. duodecim annorum offerebat, missis, qui de alterutro agerent, Revaliam legatis. Chodkievicius contra, qui in Livonia mo-
1608. derabatur, inducias ad finem Octobris proponebat, quibus a Svecis non probatis, Dux copiarum Comes Mansfeldius, Dunamundam & Kokenhusam occupa-
1609. bat. Anno autem 1609. Chodkievicius non tantum Rigam obsidione exemit, ac Dunamundam recuperavit, sed etiam Pernaviam cepit. Tum quies provinciae concessa, armis in Moscoviam versis. Vastum hoc Regnum, per falsos Demetrios adeo turbatum ac distractum fuit, ut externo bello plane impar videretur. Trucidato uno, statim alter aderat Demetrius, qui mentitus priorem, mox pro illo habebatur, cujus personam agebat; multum rumore in dies crebrescente adiutus, evasisse caedem Demetrium & vivere. Favebat fortuna, reportatis victoriis & magna Regni parte sub potestatem redacta, Basilio ex domo Svisciorum, qui nuper in fastigium magni Principis, Czarum vulgo vocant, evectus, vim aegre sustinente, ut auxilia ex Svecia arcesseret. Haec Sigismundi animum accendebant, cui non deerant, qui vicinum regnum tanquam facilem praedam ostentarent, quo jactura paterni sarciretur (*).

(*) LOCCEN.VIII.461.s. PIASEC.p.253-255. LENGN.T.V.p.27-29.

§. XIX.

§. XIX. Antequam vero Rex Moſcoviam bello aggrederetur, menſe Januario a. 1609. Varſaviae comitia habuit, in quibus praeter alia, acta a Rocoſſianis oblivioni mandata; lex de non praeſtanda obedientia explicata; & Elector Brandenburgicus Joannes Sigismundus, Ducis Pruſſiae mente aegri curator & regiminis adminiſtrator conſtitutus eſt (*). Menſe Auguſto, Rex ad Orſam, in finibus Moſcoviae, exercitum undetriginta millium contraxit, ac Smolenſcum tempore Sigismundi I. amiſſum, obſidione cinxit, quam urbs, praeſidio, propugnaculis, & omnium rerum copia munitiſſima, in annum 1611. ſuſtinuit. Interea Rex Polonos, qui falſum Demetrium ſequebantur, avocat, magno Czari Baſilii commodo, quod Demetrius potiore copiarum parte ſubtracta, Moſcuae obſidionem omittere & Calugam ſe recipere cogeretnr. Liberatus hoc hoſte Baſilius, fratrem Demetrium Sviſcium cum exercitu triginta millium, junctis ex Svecia auxiliis, ut Smolenſco ſubveniat, mittit, quem Stanislaus Zolkievius, ſupremus exercitus Dux, die octava Julii a. 1610. prope Cluſinum profligat & Moſcuam progreditur. Redierat eo falſus Demetrius, viribus & fama ex duplici victoria auctus, obſidionem inſtauraturus. Moſci a binis hoſtibus preſſi,

SIGISMVNDVS III. 1609.

1610.

ac

SIGISMVNDVS III. 1610.

ac neutri pares, imperium abrogant Basilio, in cujus locum Principem regium Vladislaum se recepturos simulant, ut Polonos in Demetrium tanquam hostem communem immitterent, & hoc deleto, ipsi Polonos debellarent. Successit consilium, & Zolkievius receptus intra urbem effecit, ut falsus Demetrius a suis desertus, iterum Calugam fugeret. Tum Basilius cum duobus fratribus, Joanne & Demetrio, Zolkievio traditus, & Mosci in nomen Vladislai jurarunt, Zolkievio & praecipuis tribunis vicissim spondentibus, adfore quamprimum Principem, & jura gentis sancte servaturum. Missi pariter ad Sigismundum, qui in obsidione Smolenscensi detinebatur, oratores, qui peterent, Vladislaum Moscuam dimitti, quo sollemni ritu, si prius sacra Graecorum amplexus, inauguraretur. Abnuit Rex, conditionem inprimis de religione aversatus, & legatos cum Basilio & fratribus captivos in Poloniam misit (**).

(*) VOL. CONST. p. 887-889. PRIVIL. ORD. PR. f. 96. LENGN. V. 36.

(**) PIAS. p. 260-262. f. KOBIERZYCII *Histor. Vladislai* lib. II-VI.

§. XX. Tum Mosci defectionem a Vladislao non obscure moliri, morte falsi Demetrii, fine anni 1610. in venatione a corpo-

corporis custodibus trucidati, animum addente. Smolenscum quidem decima tertia Junii a. 1611. expugnatum, sed Poloni vicissim intra urbem Moscuam, in duabus arcibus obsessi, jam hostes experiebantur, quibus praesidio relicti fuerant: nulla in praesens auxilii spe, dum Rex Poloniam repetit, & copiae, quibus adversus Smolenscum usus fuerat, dilabuntur. In comitiis tamen Varsaviensibus de persequendo bello consultabatur, in quibus simul decretum, ut Electori Brandenburgico Joanni Sigismundo, novis scriptis conditionibus, Prussiae ducatus lege fiduciaria conferretur: qui cum finitis comitiis Varsaviam venisset, sexta decima Novembris, sollemni ritu publice inaugurabatur, trium fratrum legatis ob succedendi jus vexillum tangentibus (*). Neque id omittendum, in memoratis comitiis Vladislaum patri ad laevam in sella primum assedisse, quo reipublicae asvesceret (**).

SIGISMVNDVS III.

1611.

(*) PIAS. p. 271. s. KOBIERZ. lib. VI. p. 367. s. LENGN. V. 52. CONST. a. 1611. p. 3. PRIVIL. ORD. PR. f. 112. s.

(**) LENG. V. 54.

§. XXI. Interea praesidiarii in arcibus Moscuae, obsidionem & stipendiorum moram impatienter ferunt, licet 1612.

SIGISMVNDVS III. 1612.

priorum Principum thesaurum expilassent. Septem millia equitum, facto pro more gentis foedere ac electo Josepho Cieklinio Mareschalco, in Poloniam post anni 1612. initium regrediuntur, regiis & sacri ordinis possessionibus tributa imperaturi, donec stipendia praestarentur. Horum exemplum secuti, qui a defuncto suo praefecto Sapiehani appellati, quique sub suo Mareschalco Joanne Zalivio per Lituaniam sparsi erant. Qui autem in arcibus remanserant, per famem ad ultimas necessitates redacti, fine Octobris deditionem fecerunt, liberum abitum sibi frustra pacti, quod aut necabantur, aut captivi detinebantur. Rex qui cum filio Vladislao ultra Smolenscum progressus, opem obsessis laturus, in castris ad Fiedoruscum deditionis nuntium accepit, unde imminente jam hieme, & nulla Moscos sub imperium concessuros spe, in Poloniam rediit. Mosci vero, ne diutius Principe destituerentur, Michaelem, Theodori vulgo Fedoris Rostoviensis *Metropolitae*, qui ex veterum Ducum sangvine, filium, Czarum elegerunt, cujus jussu capta falsi Demetrii uxor strangulata, & filius infans, laqueo brevem vitam finivit (*). Eodem tempore Moldaviam Stephanus quidam Tomsza, cui hanc provinciam Turcorum Caesar contulerat,

inva-

invadit, Constantino Mohila, Jeremiae filio Palatino Chocimum fugiente. Huic Stephanus Potocius, qui ejus gener, collecto raptim exercitu, in auxilium venit, sed a Tattaris, qui Tomszam secuti, undique cinctus, nullo commisso praelio, captivitatem subire cogitur: ipse Constantinopolim abductus, Constantinus apud Tattaros, a quibus haud agnitus, ex frigore & omnium rerum inopia brevi periit. Post quam cladem Tattari Podoliam impune populantur (**). SIGISMVNDVS III. 1612.

(*) KOBIERZ. VII. 430-471. PIAS. p. 277. 279.

(**) PIAS. p. 280. 281. KOBIERZ. p. 399.

§. XXII. Praeter Moscuae praesidiarios, & Smolenscenses ex eadem causa consociabantur, qui Smolensco deserto, hospitia sibi in Polonia majore legerunt, ut paucae Germanorum centuriae, quibus integrum adversus hanc quasi contagionem obsequium, propugnaculum illud Moscis imminentibus custodirent. In duobus anni 1613. comitiis, imperabantur tributa, quae cum stipendiis non sufficerent, quod deerat publica fide mutuum acceptum. Tum milites sequenti anno, persolutis pecuniis, quique a suo foedere ad obsequium redierunt; praeter quos & alii, qui nullo ejusmodi vinculo 1613.

SIGISMVNDVS III. constricti, quod debebatur recipiebant (*). Id pariter ad annum 1613. referendum, Regem antiqua pacta inter Poloniam ac domum Austriacam, cum Caesare Matthia renovasse (**).

1613.

(*) PIAS. p. 283-286. KOBIERZ. p. 461. C. LENGN. V. 77. 86.

(**) CONSTIT. *edit. nov.* T. III. p. 209.

1614. §. XXIII. Bellum in Livonia Moscico interruptum, anno 1614. per inducias in aliud tempus dilatum fuit, ut cessarent arma, quamdiu Reges Franciae & magnae Britanniae ac foederati Belgae, in concilianda pace laborarent, horum autem opera irrita, post novam denunciationem ad vim redire fas esset. Placuit etiam sequenti anno congressus de pace Sedini in Pomerania, quo per Svecorum absentiam frustra a Rege legati mittebantur (*). Neque cum Moscis transigere licuit, instituto anno 1615. Viasmae ultra Smolenscum, Caesaris opera de pace colloquio, quia illi, nullo in suum regnum Vladislao concesso jure, Smolenscum & occupata alia sibi restitui, illata autem damna pecunia compensari postulabant (**). Quare in comitiis a. 1616. bellum adversus Moscos Vladislao regio Principi mandatum fuit, addito utriusque ordinis consilio, & Carolo Chodkievicio, militiae

1615.

lit-

litvanae ſupremo praefecto, exercitui impoſito: cum eodem fere tempore obſeſſum Smolenſcum ab Alexandro Gonſievio liberaretur (***). Sequenti anno, Vladislaus in expeditionem Varſavia profectus, prope Mohiloviam, lituanicam ad Boryſthenem civitatem, copias contraxit. Iter inde in Moſcoviam, & advenienti Drohobuſium deditur, ac ſtatim Viaſma, miſſis qui obſequium offerrent Drohobuſium legatis, potuiſſetque Moſaiſcum, rebus gerendis opportunum & tum praeſidio vacuum, capi, ſi miles paruiſſet. Secuta hiems, quae in hibernis inter crebras vario marte, maximam partem Polonis ſecundo, velitationes transmiſſa, ſimul pax irrito conatu tentata. Movit demum Junio menſe a. 1618. Vladislaus exercitum, rerum inopia attritum & ſtipendia flagitantem, & ad Moſaiſcum tempore fruſtra inſumpto, Octobri ſub Moſcuam conſtitit. Factus in urbem impetus movit hoſtes, ut de pace legatos mitterent, quae cum convenire non poſſet, exercitus in interiora Moſcoviae progreſſus, ob non ſoluta ſtipendia per ſeditionem reditum in Poloniam minitari. Die 11. Decembris in vico Divilina, induciae quatuordecim annorum ad tertiam Januarii a. 1633. additis ſex menſibus, intra quos de ulteriori pace ageretur, aut

SIGISMVNDUS III. 1616.

1618.

SIGISMVNDVS III. 1618.

bellum decerneretur, conſtitutae, quibus Polonis Smolencenſis, Severienſis & Czernichovienſis tractus relicti, ac captivi utrinque dimiſſi fuerunt (†).

(*) LENGN. V. 89-107.

(**) KOBIERZ. p. 476. ſ.

(***) CONSTIT. a. 1616. p. 2. tit. *O Moſkwie.* KOBIERZ. p. 479. ſ. PIAS. p. 298.

(†) KOBIERZ. p. 487-607. PIAS. p. 301. 309.

§. XXIV. Antea, & quidem anno 1616. Samuel Korecius & Michael Wisnovicius, cladem Conſtantini Mohilae vindicaturi, Moldaviam ingreſſi. Initio proſpere pugnatum, donec a Turcis Moldavisque numero longe praevalentibus, ſuperarentur. Prius tamen Wisnovicius morbo extinctus, Korecius autem poſt cladem captivitatem ſubiit. Magis Coſacorum invaſionibus laceſſiti Turci, ſequenti anno validum exercitum Poloniae finibus admoverunt, quibus caſtra ad Buſſam oppidum, ubi Morachua in Tyram influit, Zolkievius oppoſuit. Ibi poſt leves velitationes, Dux Polonus, nullo Regis & Ordinum mandato, ita tranſegit, ut in poſterum Poloni rebus Moldavicis abſtinerent, ac provinciam Turcorum arbitrio permitterent: ſimul traditum Chocimum, quod pro haeredibus Conſtantini Mohi-

Mohilae praeſidio tenebatur, & Turcis permiſſum, duo cis Tyram oppida, Berſadam & Riſcoviam, quaſi Coſacorum fines praedantium receptacula eſſent, inſpectantibus Polonis, exſcindere. Non tamen indigna haec pactio rapacitatem Tattarorum cohibuit, quo minus Podoliam popularentur. Iidem parem cladem anno 1618. Volhiniae inferebant, triginta hominum millia, praeter aliam praedam, in ſervitutem abducentes; immoto in caſtris ſuis ſub Camenecum Zolkievio, ut & pugnam detrectaret, & hoſtes inultos abire ſineret (*) SIGISMVNDVS III. 1618.

(*) PIASEC. p. 297-310. KOBIERZ. p. 645. ſ. LENGN. V. 131.

§. XXV. Adhuc bellum cum Moſcis fervebat, cum Sigismundus de recuperanda Svecia cogitaret, & Ordines ſpem auxiliorum facerent (*). Accedebant larga Althanii, ex Auſtria Comitis, promiſſa, quaſi ſine Regis ſumtibus in Germania quinquaginta millium exercitum ſcribere poſſet, ex Pruſſia in Sveciam trajiciendum. Sed fruſtra expectabantur illae copiae, quibus tamen Rex adeo confidebat, ut Svecos per edicta in Guſtavum Adolphum concitaret, acſi ipſe propediem adfuturus eſſet. Praevenit ipſum Guſtavus, qui anno 1617. prope Rigam

SIGISMVNDVS III. 1618. classe appulsus, proditione Volmari Farensbachii Dunamundam cepit, quam Salisium, Pernavia & Vindavia secutae, recuperatae tamen praeter Pernaviam anno proximo, cum Farensbachius, qui nuper ad Svecos defecerat, ad Regem rediisset. Tum placuerunt induciae duorum annorum, addito, ut si continuandum bellum, denuntiatio tribus mensibus praecederet (**).

(*) CONSTIT. a. 1616. p. 2. tit. *O Swec.*

(**) PIAS. p. 298. s. LOCCEN. p. 534. LENG. V. 122. 132.

1620. §. XXVI. Jam nova Polonis a Tattaris imminebat tempestas, quos potissimum in arma accenderat Gaborius, Transilvaniae Princeps, missis adversus se Ferdinando II. Caesari a Rege auxiliis irritatus. Praemonebat Sigismundum novus Moldaviae Palatinus, Gratianus, Tomszae suffectus, Polonis addictior, & si daretur occasio, in eorum partes aperte transiturus. Patuit subdolus Palatini animus Turcorum Imperatori Osmanno, qui misso in eum exercitu, captivum Constantinopolim adduci jussit. Tum Gratianus Polonorum auxilium implorare, clientem Regni se offerre, opes suas ostentare & alia abunde polliceri, quibus effecit, ut Zolkievio a Rege injungeretur, Mol-

Moldaviae ſubvenire. Hic provinciam initio Septembris a. 1620. cum octo circiter millibus ingreſſus, Gratianum ad ſe evocavit, qui pro integro, quem promiſerat, exercitu, cum ſexcentis equitibus invitus ex diffidentia acceſſit, modicis Polonorum copiis leve ſubſidium futurus. Poſitis ad Cicoram caſtris, aderant Turci Tattarique centum millia conficientes, adverſus quos decima ſeptima Septembris a. 1620. aciem Zolkievius ita inſtruebat, ut diviſum peditatum intra duas carragines, ſic munimenta ex junctis inter ſe carris, ſeu vehiculis, ita, ut huc illuc moveri poſſint, appellamus, contineret, equitatum medio, quod inter utramque, ſpatio locaret. Fiunt ab hoſtibus impetus, quibus ſtrenue reſiſtitur, donec ſub veſperam, feſſis jam defenſoribus, ſiniſtra carrago ad caſtra recedit, dextra autem expugnatur, militibus aut caeſis aut captis. Qui ſupererant intra caſtra clauſi, non aliam ad ſalutem habebant viam, niſi quam ſibi ferro per medios hoſtes facerent; quibus vero clandeſtina fuga placebat, maximam partem, pavoris ſui aut temeritatis poenas dederunt, vel Hieraſco, Prut vulgo dicitur, merſi, vel a perſultantibus adverſam ripam Tattaris trucidati; in quorum numero Gratianus, infelicis belli auctor, fuit. Sparſo deinde ru-

SIGISMVNDVS III. 1620.

SIGISMVNDVS III. 1620.

more, velle Duces exercitum deſerere, nocte totis caſtris tumultus & fuga, omnesque fuiſſent dilapſi, ni Zolkievius, Koniecpolius & alii ruentes ſtitiſſent reduxiſſentque, calonibus interea impedimenta diripientibus. Reddita quiete & repreſſis hoſtibus, undetriceſima Septembris intra carraginem ad Poloniae fines recedere placuit, ac poſt octo dierum iter, inter maximas viae difficultates, & continuos Turcorum Tattarorumque impetus, miles fame, inſomniis, vulneribus confectus, numero imminutus, & omnium rerum egens, uno milliari a Tyra conſtitit. Tum nocte, quae ſeptimum Octobris praeceſſit, quaſi periculis jam defunctus, praefectis nequicquam dehortantibus, quieti ſe dare, calones autem conſcenſis equis ad Tyram fugere, quo deſertis heris, poenae, quam ob direpta ad Cicoram impedimenta, poſt reditum in Poloniam metuebant, ſe ſubducerent. Ita horum exemplo omnia turbabantur, & diſrupta carragine palantes, facilem reddebant advolantibus hoſtibus caedem. Multi occubuerunt, plures capti, paucos admodum fuga ſervavit. Ipſe Zolkievius ſupremus exercitus poloni Dux ſimul magnus Cancellarius, pugnans cecidit, caputque ejus Conſtantinopolim miſſum, quo & Stanislaus Koniecpolius militiae

tiae praefectus minor, cum aliis captivis abductus fuit. Poſt quam ſtragem Tattari Podoliam & Ruſſiam populati, Imperator autem Turcorum bellum indixit (*). SIGISMVNDVS III. 1620.

(*) KOBIERZ. p. 659. ſ. PIAS. p. 332. ſ.

§. XXVII. Dum Varſaviae de propulſando bello ſub finem anni 1620. conſultatur, Michael quidam Piekarſcius, mentis in furorem turbatae, execrabile facinus auſus, Regi divini Joannis aedem die decima quinta Novembris ingredienti, ad fores, clava in roſtri formam mucrone munita, cui vulgo nomen *Czekan*, duo vulnera, utrumque leve, alterum inter ſcapulas, alterum cutem ſiniſtrae maxillae ſtringens, infligit. Rex quidem ſalvus diſcrimen evaſit, parricida candentibus forcipibus laniatus ac equis diſtractus, tandem combuſtus, dignum nefario ſcelere ſupplicium ſubiit (*). Decreta ab Ordinibus pecunia, miles & alia quae bello uſui parabantur, ac exercitus triginta quinque millium ſcribebatur, triginta millibus Coſacorum confirmandus, cui Carolus Chodkievicius, ſupremus copiarum lituanicarum Dux, & Stanislaus Lubomirius regni Pincerna praefecti: ipſo Vladislao Regio Principe expeditioni adfuturo. Fine Maji anni 1621. Lubomirius ad Scalam in Podolia metatus, ad 1621.

quem

SIGISMVNDVS III. 1621.

quem cum acceſſiſſet prope Rzepnice Chodkievicius, exercitus decima ſexta Auguſti, Tyram ponte transmiſit,ac prope Chocimum munitis caſtris ſubſtitit. Huc venere Coſaci, & Septembri menſe cum reliqua parte copiarum Vladislaus, aegro ex febri corpore. Poſt Coſacorum leviores conflictus,ac vanum Tattarorum in caſtra Polona conatum, aderat ſecundo Septembris Oſmannus Turcorum Caeſar, agmen trecentorum millium trahens, centum ſub ſuo Regulo Tattarorum millibus. Conſident hoſtes quatuor paſſuum millibus contra Polonos, in quos pro caſtris aciem Chodkievicius inſtruit, impetum facientes fortiter ſuſtinet, & cum inſigni clade reiicit, donec nox praelium dirimeret. Poſtridie Turci Polonorum caſtra aggreſſi depelluntur, neque ſucceſſit quoties idem auſi, Chodkievicio contra facta excurſione, cum ſeptingentis ſex millia equitum profligante. Gravius autem commeatus inopia & morbi premebant, ipſo Chodkievicio viceſima quarta Septembris ex valetudine obeunte. Accedebant his malis, multorum clandeſtinus abitus, pulvis bellicus admodum imminutus & brevi tantum defenſioni ſufficiens, ac Coſacorum ob rerum penuriam tumultus, donativo aegre ſedatus; qui ut contumaciam eluerent, bis nocte in Turcorum

corum castra irruerunt, ac strage latius edita cum spoliis reversi. Tentarunt idem saepius hostes in Polonorum munimenta, sed cum magna suorum clade depulsi, ut castra vi capi posse, plane desperarent. Proni igitur in pacem, de qua missis ad eos undetricesima Septembris duobus legatis agebatur: Osmanno eodem tempore Paniovce, cis Tyram castellum, frustra oppugnante. Nona Octobris ita transigitur, ut salvis antiquis pactis, de finibus controversiae per legatos componantur; Tattari Cosacique mutuis excursionibus omnino abstineant; & a Turcis Moldaviae christianus, pacis studiosus, & a Polonis non alienus praeficiatur, eidemque Chocimum tradatur. Tum motis castris, exercitus attritus admodum, Turcis jam digressis, in Poloniam reducebatur. Pacis nuncium Rex Leopoli accepit, quo profectus, ut excita in bellum nobilitate, ad Chocimum metantibus subveniret (**).

SIGISMVNDVS III. 1621.

(*) PIASEC. p. 337. 338. KOBIERZ. p. 718. f.

(**) PIAS. p. 338. f. KOBIERZ. p. 726. f. SOBIESCII *Comment. belli Chotinensis.*

§. XXVIII. In Livonia, non prorogatis, quae finierant, induciis, eodem anno quo ad Chocimum pugnabatur, bellum

SIGISMVNDVS III. 1622. lum fervebat: ubi Guſtavus Adolphus, cum viginti millium exercitu Septembri menſe claſſe advectus, Rigam per ſex hebdomades oppugnatam deditione capiebat. Dunamunda praeſidio vacua ultro ceſſit, trajectoque Duna, Sveciae Rex Curlandiam ingreſſus Mutaviam occupavit, quam cum iis, quae cis Dunam tenebat, reſtituit, cum anno 1622. nova pactione ab armis biennium quieſcere placeret (*). Antea, duodeviceſima Septembris anni 1621. Georgius Vilhelmus, Princeps Elector Brandenburgicus, Varſaviae Dux Pruſſiae fiduciario ritu publice inauguratus fuit (**).

(*) LOCCEN. VIII. 536. ſ. 545. LENG. V. 153. 157. PIAS. p. 347.

(**) LENG. l. c. p. 150. PIASEC. p. 345.

1623. §. XXIX. Bello Turcico patrato, milites, conflato ob debita ſibi ſtipendia foedere, licentius agebant, qui perſoluta pecunia & conceſſa admiſſorum impunitate, ad obſequium redierunt (*). Ita pacatis in Polonia rebus, Rex medio vere anni 1623. cum Regina, Vladislao filio, & filia Anna Catharina, Viſtula in Pruſſiam devehitur, & dum Thorunii, Mariaeburgi, Elbingae, Braunsbergae, Gedani, aliisque locis ſubſiſtit, magno apparatu exceptus,

ceptus, lautiſſime habetur & donis colitur, Vladislao ex Varmia Regimontum excurrente. Hoc iter, licet non alia ex cauſa, quam ut Rex animum remitteret, ſuſceptum eſſe videretur, iniecerat aliquam ſuſpicionem, quaſi comparata ornataque in portu Gedanenſi claſſe, bellum in Sveciam transferri deberet. Quo ergo quae agerentur propius inſpiceret, aderat triceſima Junii Guſtavus Adolphus cum viginti navibus ad portum Gedanenſem, recedebatque ſecurus redditus, inducias ſanƈte ſervatum iri. Poſt quem Sigismundus, itinere per Pomerelliam & majorem Poloniam Septembri Varſaviam rediit (**).

SIGISMVNDVS III. 1623.

(*) KOBIERZ. p. 848. CONSTIT. a. 1623. p. 1. tit. *Aſſekuracya.* LENG. V. 156.

(**) LENG. V. 160. PIAS. p. 366. KOBIERZ. p. 853. ſ.

§. XXX. Eo ad ſextam Februarii anno 1624. comitia indiƈta fuerunt, in quibus cum Rege expoſtulatum, quod ante triennium Joanni Alberto filio, novem annorum puero, Varmienſem epiſcopatum contuliſſet; Caeſari auxilia miſiſſet; & Regina agrum Zyvicenſem, in palatinatu Cracovienſi, Sileſiae & Ungariae confinem, emiſſet: quae legibus prohibita, tum Regiae domui iter ad potentiam, 1624.

gentis

SIGISMVNDVS III. 1624. gentis libertati praegravem, munire, tum regno discrimen afferre videbantur. Promisit Rex, filium si quando ad justam aetatem pervenerit, fidem suam Reipublicae jurejurando obstricturum: simul exteris militantes severo edicto revocati, infames & publici hostes habendi, si non intra certum tempus redierint, aut si in posterum extra regnum stipendia meruerint. De Zyvicensi vero agro nil constitutum, negotio hoc in alia comitia dilato. In praesentibus Rex Ordines, ut bellum contra Gustavum Adolphum decernerent, inducere frustra conatus est, quare die octava Maji, in arce Dalensi prope Livoniae fines, induciae in mensem Junium sequentis anni prorogabantur, ita tamen, ut alterutra pars, quae finito illo tempore bellum mallet, illud alteri duobus ante mensibus denunciaret, secus induciis annus unus adderetur (*). Ita quies a Svecis, quam negabant Tattari, qui superiori anno Russiam Leopolim usque impune populati, praesenti redibant, sed praeda onusti regredientes, a Koniecpolio, Duce exercitus minore, ita excepti, ut post conflictum, relictis quae rapuerant, vacui in fugam se coniicerent (**). Anno 1625.

1625. Polonis legatos de pace aut novis induciis in locum constitutum mittere tergiversantibus, Gustavus Adolphus post belli denun-

denunciationem, menſe Julio ſeptuaginta ſex navium claſſe, prope Rigam advectus, quicquid in Livonia trans Dunam reliquum, brevi & fere ſine omni defenſione in ſuam ditionem redigit, & Sapieham Lituaniae Mareſchalcum, qui cum tribus circiter millibus hoſti minus caute ſe objecerat, cecidit. Impoſito Dunae ponte, liber jam in Curlandiam & Lituaniam aditus, & in Samogitia, quae pars Lituaniae, Birzae, in Curlandia Mutavia, Bauſcum & alia loca occupata fuerunt. Tum de pace ſermo, & mox querelae, quod jus gentium & fides publica violata, legatis Svecorum minoribus, qui de tempore & loco colloquii convenirent, in itinere a Coſacis interceptis, quibus dimiſſis, fruſtra de ponendis armis actum fuit (***).

SIGISMVNDVS III.

1625.

(*) PIASEC. p. 368. 369. LENG. V. 167. 168. LOCCEN. p. 548.

(**) PIASEC. p. 370.

(***) LOCCEN. p. 550. 551. PIASEC. p. 381. LENG. V. 173.

§. XXXI. Nulla pacis ſpe, Sveci Lituanos ad Valhoviam in Curlandia caedunt, & Radzivilius lituanici exercitus minor Dux, hoſtium aliquam manum viciſſim fundit, mutuamque cladem breves ad viceſimum Aprilis diem induciae excipiunt. Poſt has, Guſtavus Adolphus 1626.

SIGISMVNDVS III. 1626.

bellum in Prussiam transtulit, spe majoris commodi, quod provincia situ opportuna, longo tempore intacta & copiosa, idoneo praesidio destituta erat. Advectus sexta Julii classe, prope Pillaviam exercitum quindecim millium in terram exposuit, ac propugnaculum illud sine defensione cepit: nec minus totam Prussiam Brandenburgicam, ut medias amplecteretur partes, permovit, cum in bellum non instructae hoc unum adversus hostis vim & certam cladem remedium suppeteret. Occupata tota Varmia, Elbinga, Mariaeburgum, Christburgum, Dirsavia, Meva & Stuma deditionem fecerunt, ac injecto Vistulae ponte, hostis castra ad Dirsaviam posuit. Eodem tempore supremus Svecicae classis praefectus, Carolus Guldenhielmius, cum novem bellicis navibus ad portum Gedanensem accedens, vectigal ultro citroque commeantibus navigiis imposuit, ac Pucense oppidum cepit, demissa interea in terram manu, quae vicinos agros & monasterium Olivense expilavit. Gustavus autem Gedanenses, postquam cum illis de neutris partibus ex suo commodo frustra egisset, hostium numero habuit, quo vi eosdem a suo Rege abalienaret: qui, Prussiae auxilium laturus, cum filio Vladislao duodevicesima Augusti Thorunium adveniebat,

bat, cum paulo ante hostis huic civitati ac toti palatinatui Culmensi, medias partes nequicquam obtulisset. Decima septima Septembris Rex Sigismundus Mevam obsedit, cui hostis subvenit, & post acrem conflictum, in montem, ex quo civitas maxime premebatur, enisus Regem adegit, ut ab obsidione in castra recederet; quibus motis, propius Dirsaviam duo ab hoste milliaria constitit. Medio inter utraque castra spatio, mense Octobri de pace colloquium habitum fuit, sed irrito ut alias conatu, cum Poloni Sveciae regnum, post Gustavi Adolphi mortem, suo Regi ejusque soboli, Esthoniam vero, Livoniam ac loca in Prussia occupata statim postularent: Sveci saltem, dilata de Regno suo post Sigismundi obitum controversia, inducias offerrent. Dein dimissis in hiberna militibus, ac cura Prussiae Axelio Oxenstiernae Cancellario mandata, Gustavus Adolphus Novembri ex portu Pillaviensi in Sveciam solvit. Sigismundus ex suis castris Gedanum, inde Thorunium ad comitia abiit. Milites, quibus Koniecpolius praeerat, hieme sub tentoriis retenti, per suas excursiones hostibus non minus, quam incolis graves, Vormditum in Varmia ceperunt, Svecis passim praedas agentibus (*).

SIGISMVNDVS III. 1626.

SIGISMVNDVS III.

(*) PIASEC. p. 383. ſ. LENG. V. 181-197. LOCCEN. p. 551-554.

1626. §. XXXII. In dictis comitiis Thorunienſibus, quae undeviceſima Novembris anni 1626. coeperunt, in bellum milites, commeatus & pecunia decreta (*). Graviter autem commovebat Ordines, cum alter Cancellariorum Regni, de ſucceſſore Regi deſignando mentionem faceret, & Joannem Caſimirum, ex poſteriori matrimonio filium maximum, non obſcure commendaret (**). Praeceſſit comitia victoria de Tattaris ad Bialocerkviam, qui numero triginta millium Ucrainam ingreſſi a Stephano Chmielecio ita profligati ſunt, ut vix quinquies mille incolumes evaderent (***). In

1627. Pruſſia, ſecunda Aprilis anno 1627. Koniecpolius oppidum Pucenſe ad deditionem ſubegit, Svecis, qui illud inſederant, libero abitu conceſſo. Unde in mille & quingentos, novis delectibus in Germania contractos movit, ac Hammerſteino, in palatinatus Pomerelliae finibus, incluſos, poſt acrem defenſionem compulit, ut duo qui eis praeerant tribuni cum uno legato ſe Regis arbitrio permitterent, pedites & dimachae militiam Polonam amplecterentur, equitibus, ſi eam detrectarent, ſine impedimentis abeundi facultas eſſet. Antea Elector Brandenburgicus, in Pruſſiam

ſiam ſuam venerat, qui cum Regis Sigiſmundi partes ſuſciperet, a Guſtavo Adolpho ad medias redire coactus eſt. Hic menſe Majo, cum ſex peditum legionibus ex Svecia reverſus, irrito in Polonos & Gedanenſes ad Kaeſemarcum in agro Gedanenſi prope Viſtulam conſilio, caſtra iterum ad Dirſaviam, in quae duodecim legiones contraxerat, poſuit: unde cum ſeptem millibus Braunsbergae adverſus Polonos ſubſidio venit, quibus contra obſidio Mevenſis ſucceſſit, civitate duodecima Julii per deditionem recuperata: cum Sveciae Rex munimenta ad Kaeſemarcum expugnaret. Duodeviceſima Auguſti Polonos in ſuis caſtris haud longe Dirſavia aggreſſurus, totum admovit exercitum, qui infecto negotio regreſſus, Rege glande ex bombarda ſiniſtro humero vulnerato. Acta haec Sigiſmundo in Polonia abſente, qui cum filio Vladislao viceſimo quinto Julii Thorunium, ac circa finem Auguſti, quatuor millibus Caeſarianorum militum ſequentibus, in ſua caſtra venit, quibus viceſima ſexta ad Falkenaviam vicum motis, Rex cum filio Varſaviam rediit, quo & Koniecpolius diſceſſit, poſtquam copias in hiberna per Culmenſem & Pomerelliae palatinatus dimiſiſſet. Idem antea a Svecis, Vormdito & Gutſtadio in Varmia captis, factum, quorum Rex fine

SIGISMVNDVS III.
1627.

 Octo-

SIGISMVNDVS III. 1627.

Octobris Pillavia in ſuum Regnum trajecit (†).

(*) CONSTIT. THOR. a. 1626. p. 7. tit. *Uniwerſal poborowy.*

(**) PIAS. p. 385.

(***) PIASEC. l. c.

(†) PIASEC. p. 391-393. LENG. V. 198. ſ.

§. XXXIII. Cum ambo exercitus adhuc prope Dirſaviam conſiſterent, medio inter caſtra loco, Belgarum legatis conciliatoribus, Septembri menſe rurſus de pace actum. Pro qua Regis Sveciae legati, inducias triginta annorum iis praeter alias conditionibus offerebant: ut Poloni, receptis quae in Livonia & Pruſſia amiſerant, ſumtus in bellum factos ſolverent; in Eſthoniam nullum ſibi jus vindicarent, neque Regi ſuo, ſi quando arma in Sveciam verteret, auxilio adeſſent. Sed Polonis belli ſumtus abnuentibus, infecta re diſceſſum eſt (*). Duodetriceſima Novembris ejusdem anni, novem naves Regiae, duas Svecicas cingentes, alteram, in qua Propraetor claſſis Sternſchildius occubuit, poſt acrem defenſionem expugnarunt, altera ipſa ſibi ignem ſubjecit. Neque haec victoria Polonis incruenta fuit, ſummo illorum Praefecto Dicmanno, praeter alios, exſtincto (**).

(*) LENGN.

(*) LENGN. V. 205. 206.

(**) LENGN. V. 212.

§. XXXIV. Februario menſe anno 1628. in vico Honigfeld non procul Stuma, tertius in Pruſſia de pace congreſſus inſtitutus, legatis Electoris Brandenburgici, in procuranda illa Belgis ſuam operam jungentibus. Sed neque tum negotium, quod poſt nova Polonorum comitia dilatum, ad exitum deduci potuit, tantum expoſtulationes de titulo ſvecico intercedebant, quem Sigismundo in mandati literis a Polonis datum, a Svecis negatum, legati mutuo querebantur. Actum etiam de brevioribus induciis, quas Sveci ad quindecim, Poloni non ultra quinque menſes extendi volebant (*). Reduce menſe Majo ex Regno ſuo in Pruſſiam Guſtavo Adolpho, exercitus ejus antiquo loco ad Dirſaviam caſtra poſuit, ipſe vero in agrum Gedanenſem, cui Neringia nomen, progreſſus, excitato inter urbem & ejus ad oſtium Viſtulae propugnaculum ſuggeſtu, regias in Viſtula naves tormentis male habuit, una diſrupta, altera igne abſumpta, tertiam, quae flammam conceperat, effuſus imber ſervavit. Poſtea cum exercitu ad fluvium Oſſam contendit, quo motis Meva caſtris Koniecpolius magnis itineribus ſecutus, trajecto ad

SIGISMVNDVS III.
1628.

SIGISMVNDVS III. 1628.

Grudentum Viſtula, trans Oſſam conſedit, utroque exercitu amne hoc diremto: quem tamen manus aliqua hoſtium ponte ſuperavit, ut caſtellum Engelsburgum praeſidio vacuum occuparet. Mox Vrangelius, primarius Svecicarum copiarum Dux, contractis ſeptem circiter millibus, Mevam fruſtra obſedit, contra Neuburgum a Thurnio Comite ex improviſo captum, ſed a Polonis, praeſidiariis per inſidias interceptis, recuperatum. Quarto Octobris, toto exercitu Oſſam trajecto, Sveciae Rex Strasburgum expugnavit, recedentem vero Koniecpolius inſecutus, ultimum agmen invaſit, ac praeter captivos, in quibus Baudiſius tribunus, trecentos circiter interemit. Tum hoſtes, morbis ex commeatus inopia & pluviis fere continuis attriti, in hibernis locabantur, Rege illorum Novembri in Sveciam abeunte (**). Eodem anno Sigismundus naves ſuas, novem numero, ex portu Gedanenſi Viſmariam in Caeſaris uſum miſit, quae a Danis depreſſae omnes perierunt. Inter quae Elector Brandenburgicus, cum Belgarum oratores ad ſuos infectis rebus rediiſſent, non ceſſabat, pro pace aut longioribus induciis niti, cujus tamen opera legatis ne quidem congredientibus fruſtra fuit (***).

(*) LENGN. V. 213. 214.

(**) LENGN.

(**) LENGN. V. 217-219.

(***) PIAS. p. 404. LENGN. V. 220. 225.

SIGISMVNDVS III.

§. XXXV. Melius anno 1629. negotium ſucceſſit, reddita in annos ſex quiete: antea tamen armis acriter certatum. Poloni Strasburgum fame recuperaturi, omnes aditus quibus commeatus ſubvehi poſſet, intercluſerant. In hos Vrangelius, contractis ſeptem millibus & quingentis, nona Februarii movit, cui ad oppidum Gorzno, duobus Strasburgo milliaribus, Caſtellanus Camenecenſis, Stanislaus Potocius, cum quinquaginta equitum centuriis & ſexcentis peditibus occurrit. Commiſſa duodecimo die pugna, Poloni profligati & Vrangelius, cum Strasburgum annona & novo praeſidio confirmaſſet, iter Thorunium perrexit, ut urbem hanc ex improviſo caperet: quae ductu Denhofii, tribuni, fortiter reſiſtendo, hoſtis impetum, cum ſuburbiorum quae ipſa incendit ruina, repreſſit, licet jam triginta Sveci effracta extrema, cui Culmenſis nomen, porta, in proximum propugnaculum evaſiſſent. Dum hoſtis Thorunium premit, trepidatur Varſaviae, ubi Ordines de belli ſubſidiis conſultantes, novum tributi genus, *fumale* dictum, ex domibus ſolvendum, quodque agrarium quadruplum aequa- 1629.

SIGISMVNDVS III. 1629. ret, decernunt, ac consentiunt, ut milite domestico minus in promtu, auxilia a Caesare arcessantur. In iisdem comitiis Rex spondebat, bona quae Reginae in viduitatem assignari solent, nullis possessionibus, Ordinibus insciis, augere: cum anno 1625. duas in Prussia praefecturas, Strasburgensem & Golubensem, sua auctoritate adiecisset (*).

(*) PIAS. p. 405. 406. LENGN. V. 223. 224. ZERNECK. *Thorun. oppug.* c. 1. CONSTIT. a. 1629. *prior.* p. 4. tit. *Podymne.*

§. XXXVI. Ineunte Majo, aderant prope Hamersteinum, in Prussiae finibus, decem millia Caesarianorum militum, sub tribuno Arnheimio, qui coram delegatis Polonis lustrati, ad Graudentum metabantur, ubi & Poloni sub Koniecpolio in suis castris considebant: initis antea cum hoste, Electoris Brandenburgici opera, a duodevicesima Martis ad decimam Junii induciis. Post has, Gustavus Adolphus tricesima prima Maji ex Svecia Pillaviam cum tribus legionibus reversus, ad Mariae insulam copias contraxit, unde post paucos dies Mariaeburgum recessit, praemissum cum maxima exercitus parte Vrangelium, cum reliquis sequens. In silva Stumensi, qua via ducebat, Poloni Caesarianique eum die vicesima sexta Junii,

nii, ex improviso aggrediebantur, ut vitae libertatisque discrimen adiret, cum balteo prehensus, non agnitus, captivus a gregario milite traheretur; sed cum interfecisset ipse eum qui manus injecerat, ac sui adversus plures cum uno equite pugnanti subvenirent, incolumis cum jactura pilei, veluti opimum spolium Valdsteinio, supremo Caesarianarum copiarum Duci in Germaniam missi, evasit. Sveci, ex quibus septingenti circiter desiderati, relictis in praedam tormentis decem, post acrem pugnam cesserunt, veneruntque media nocte Mariaeburgum, ad quam civitatem Gustavus Adolphus cum novem millibus intra munita castra se continuit, Polonis horumque foederatis frustra eum ad praelium provocantibus. Hi, apud quos Sigismundus & duo filii, Vladislaus ac Joannes Casimirus, praesentes, e regione prope vicum Mausdorfium majus metabantur. Ibi mutua per excursiones damna, mox ex inopia annonae morbi & mortes: inter quae, Arnheimius Svecorum munimentum ad Muntaviam, inter Nogatum & Vistulam, frustra tentavit, cum suorum clade rejectus. Hic suspicione apud Regem laborans, ac si, ut bellum traheretur, bene gerendi occasiones consulto corrumperet, a Valdsteinio revocatus, Henricum Julium, Ducem

SIGISMVNDVS III. 1629.

Saxo-

SIGISMVNDVS III. 1629.

Saxonem Lauenburgenſem ſucceſſorem habuit. At hoſtes, quatuor ex Svecia veteranorum legionibus & novis delectibus aliunde advectis, multum aucti, magis jam formidandi erant, a quibus ut ſua tutarentur caſtra, Poloni novam excitabant munitionem. Idem cum a Svecis fieret, illi novum opus impetu ceperunt, ſed mox pulſi, in caſtra receſſerunt, quae invaleſcentibus morbis, poſt incurſionem in Inſulam Elbingenſem, undetriceſima Auguſti, hoſte ultimum diſcedentium agmen premente, Graudentum movebantur (*).

(*) PIAS. p. 406-408. LENGN. V. 225-229. KEVENHVLL. *Annal. Ferdin.* T. XI. p. 810.

§. XXXVII. Paulo poſt Rex Sveciae partem copiarum, caeteris ſub Vrangelio relictis, ex caſtris in agrum Elbingenſem duxit, ac viceſima quarta Septembris Pillavia in Regnum ſuum renavigavit. Secutae viceſima ſexta induciae ſexennes, ad undecimam Julii anni 1635. duraturae, in campo ad vicum Altmarc prope Stumam, Regum Franciae & Angliae, ac Electoris Brandenburgici legatis conciliatoribus, compoſitae, quibus Sveci Livoniam ad Dunam usque; in Pruſſia polonica Elbingam, Braunsbergam, Tolkemitum, tractum Fiſchavienſem, inſulae majo-

majoris ac Neringiae Gedanensis partem; in Brandenburgica Pillaviam retinebant. Electori Brandenburgico, tanquam sequestri, Mariaeburgum insulae majoris pars, Stuma & Hauptum ad Vistulam munimentum tradebantur, ut Svecis, quibus in promissi fidem Memelia & alia in Prussia Brandenburgica loca concessa, redderentur, ni pax ante induciarum finem conveniret: de qua ut illarum spatio ageretur constitutum. Ita bellum Polonis admodum grave, non quidem finitum, in aliud tamen tempus transmissum fuit (*). Has cum Svecis inducias, duplex de Tattaris excepit victoria, qui Octobri mense ad Monasteriscum a Stephano Chmielecio, & alio loco a Palatino Russiae, Stanislao Lubomirio, profligati sunt (**). 1629.

(*) PIASEC. p. 409. LENGN. V. 229-231. LONDORP. *Act. publ.* T. III. p. 1104.

(**) PIASEC. p. 409.

§. XXXVIII. Anno 1630. adversus Cosacos, qui per seditionem, & suum Praefectum occiderant, & regios milites invaserant, Koniecpolius per agrum kioviensem copias duxit, & post multos conflictus ad obsequium subegit; ut impetrata factorum venia, fidem suam novo sacramento obstringerent, & motuum au- 1630.

ctores

SIGISMVNDVS III. ctores ad proxima comitia in poenam se missuros pollicerentur. Mox milites qui in Prussia meruerant, ob stipendia non
1630. persoluta, sub Vilinscio quodam, quem Mareschalcum sibi imposuerant, secessionem faciebant, sed pecunia numerata ad
1631. officium redibant (*). Pro auxiliis Caesarianis in comitiis anno 1631. tributa decreta, ac antiquorum jurium habita fuit ratio. Rex enim legem de libera electione anno 1607. latam firmavit, placuitque eam in rem datum illo anno diploma, constitutionibus inseri (**). Praeterea sancitum, ut bona haereditaria nobilium, non aliis, nisi qui iisdem cum caeteris civibus legibus subessent, cederent; possessiones Zyviecenses, numeratis Reginae sexcentis florenorum millibus, aut a tota Republica, aut a nobilibus privatis, redimerentur; & dignitates, tum sacras, tum civiles, Rex solis indigenis, nobilibus, ejusdem cum aliis conditionis, conferret (***). Simul praefecturae in Prussia, Strasburgensis & Golubensis, Reginae, cui olim Rex concesserat, constitutione assertae, & quod idem filii nomine, ob concessum ei Episcopatum Varmiensem promiserat, eodem modo roboratum fuit (†). Paucos admodum menses legi pro se latae Regina Constantia superfuit, decima Julii, aetatis quadragesimo quarto anno, repentina

tina morte extincta: quae Regem adeo afflixit, ut aetate & morbis fracti finem properasse crederetur (††). SIGISMVNDUS III. 1631.

(*) PIASEC. p. 419.

(**) CONSTIT. a. 1631. p. 1. 2. tit. *Waruneck.*

(***) CONSTIT. a. 1631. p. 3. 4.

(†) CONSTIT. a. 1631. p. 4. 5. tit. *Staroſtwo.* tit. *Warmia.* PIAS. p. 421.

(††) PIAS. p. 421. LENGN. V. 244.

§. XXXIX. Regis obitum comitia extraordinaria trium hebdomadum, mense Aprili anni 1632. praecesserunt, ubi ex bonis defunctae Reginae in viduitatem assignatis, filiis ejus, Joanni Casimiro & Alexandro binae possessiones, seu *tenutae*, & filiae Annae Catharinae duae praefecturae Strasburgensis & Golubensis concedebantur, frater vero eorum, pro Varmiensi Cracoviensem episcopatum obtinebat. Ut Ordinibus, qui consenserant, gratiam referret Sigismundus, reditibus ex moneta, successorum nomine, Reipublicae cessit, ut iis post mortem suam perpetuo frueretur (*). Ante comitiorum initium rumor pervasit, Regem vivere desiisse, quo motus Jacobus Russelius, a Sveciae Rege legatus in Poloniam designatus, ut ipsum successorem commendaret, praemisit Riga hominem cum litte- 1632.

SIGISMVNDVS III. 1632.

litteris ad Senatores aliquos & nobilitatem. Quod Regem & Ordines adeo offendit, ut litterae in foro a Mareſchalci regni miniſtro publice urerentur. Ipſe Guſtavus Adolphus feſtinationem minus opportunam indignatus, Ruſſelium in carcerem duci juſſit (**). Finitis comitiis, die triceſima Aprilis Rex apoplexia & catarrho ſuffocante, aetatis ſexageſimo ſexto, regni quadrageſimo quinto anno, Varſaviae obiit: non ſine culpa medici, qui fortiori in purgationem alvi remedio, apoplexiam provocaſſe ferebatur. Hic exitus Sigismundi III. cui ex priori unus, Vladislaus Sigismundus, ex poſteriori matrimonio, Joannes Caſimirus, Joannes Albertus Epiſcopus Cracovienſis, Carolus Ferdinandus, Epiſcopus Vratislavienſis, Alexander Carolus, ac filia Anna Catharina, ſuperſtites. Religionem ejus, juſtitiam, aequum in utraque fortuna animum, decoram faciem corporisque ex dignitate habitum, alii laudarunt. Culpatus tamen, quod illorum conſilia, qui Reipublicae minus intelligentes, temere ſecutus, & propoſiti tenacior temporibus inſervire neglexiſſet. Soboli ſuae ex Regno Sveciae, quod a patre per haereditatem acceperat, ſolum titulum transmiſit, Poloni vero amiſſam Livoniam, deſerta in Moldaviam & Valachiam jura & in-

ſeſſa

ſeſſa a Svecis in Pruſſia loca dolebant: quae horum damna prolatis Moſcoviam verſus finibus reparata videri poterant (†). SIGISMVNDVS III. 1632.

(*) CONSTIT. a. 1632. p. 2. tit. *Opatrzenie.* PIASEC. p. 439. KOBIERZ. p. 939. LENGN. V. 252.

(**) LENG. V. 245. 252. PVFEND. *de reb. Svec.* lib. IV. §. 67. LONDORP. *Act. pub.* T. IV. p. 271.

(†) PIAS. p. 440. KOBIERZ. p. 945. 948. LENG. V. 253-255.

CAP. IV.

DE VLADISLAO IV.

§. I.

Poſt Sigismundi III. mortem, Primas Joannes Wenzyk Ordines Varſaviam ad diem viceſimum ſecundum Junii anni 1632. convocavit, ut ad exemplum priorum interregnorum, quies domeſtica & externa novo foedere firmaretur. In his comitiis, quibus a convocatione nomen, Elector Brandenburgicus, qua Dux Pruſſiae, per legatum queſtus quod non invitatus, poſtulavit, ut ad electionem regiam VLADISLAVS IV. 1632.

VLADISLAVS IV. 1632.

arcesseretur: quod ipsi auctoritate perpetuae consvetudinis negabatur. Neque militibus quartanis & Cosacis successit, cum jus suffragii in electione peterent, fastu simul Cosacis exprobrato, quod infimae conditionis homines nobilitati aequari vellent. Securitati dissidentium de religione, ex quorum numero Dux Christophorus Radzivil, lituani exercitus minor Praefectus, ordinis equestris Mareschalcus erat, non tantum ut olim cautum, sed etiam nonnulla de eorum templis in civitatibus regiis, de foro ministrorum sacrorum, de Tribunalium decretis, mandatis regiis & privatorum vi, pacem illorum turbantibus, adjecta fuerunt. Quod autem ad electionis comitia, quae convocationis excipere solent, placuit, ut ea septimo & vicesimo Septembris inchoanda, spatio sex hebdomadum, inter Varsaviam & vicum Volam peragerentur (*).

(*) CONFOED. GENER. a. 1632. PIASEC. p. 441. s. LENGN. T. VI. p. 7. s.

§. II. Comitia electionis jam coeperant, cum Vladislaus, Sigismundi filius natu maximus, & post patris obitum titulo Regis Sveciae insignis, Varsaviam ingrediebatur: quod aegre ab iis latum, qui Regni candidatum longius abesse volebant, ac legi, qua id in posterum prohibitum,

tum, occaſionem dedit (*). Inter Ordines, de pace diſſidentium religionis cauſa gravis erat contentio, quod iis, quae pro eadem proximis comitiis ſancita, tum alii, tum Epiſcopus Luceorienſis, Achatius Grochovius, oblocutus, ſuamque contradictionem actis publicis inſeri curaſſet. Res tanto fervore ac pertinacia inter minas agebatur, ut metus eſſet, ne in vim & civile bellum erumperet. Suſcepit partes conciliatoris Vladislaus, obtinuitque, ut quae in comitiis convocationis placuerant, in pactis conventis, non obſtantibus quibuscunque contradictionibus, firmarentur (**). Collata tum de aliis conſilia, quae uſui eſſent Reipublicae, ſed cum nihil conſtitui poſſet, ad electionem Regis ejusque pacta tranſitum. Unus erat candidatus Vladislaus, qui per fratres, additis ex Senatu & Equitibus, regnum petebat, & a ſummi Pontificis nuntio ac Caeſaris oratore commendabatur. Venerant & a Rege Sveciae legati, qui auditi monebant, ne ex filiis Sigismundi Rex crearetur, niſi jure in Sveciam ceſſiſſet. Qui autem ab Electore Brandenburgico miſſi, apud Senatum jus ſuffragii & alia fruſtra exigebant, at equeſtri ordini, ne quidem quae ſibi injuncta, exponere poterant: vix enim circulum ingreſſi, undique ſublato clamore, non ſine contume-

VLADISLAVS IV. 1632.

VLADISLAVS IV. 1632.

lia rejecti, quasi Elector olim Svecos in Prussiam adduxisset, ac suis opibus juvisset. Die octava Novembris collata in Vladislaum suffragia, qui decima tertia Primatis voce Rex renunciatus, cum antea ejus legati in pacta conventa jurassent. In his praeter ea, quibus integritati jurium prospicitur, novus Rex obligatur, ut certos reditus ad apparatum bellicum, & pro iis, qui in artibus militaribus erudiri velint, scholam equestrem instituat; foedera cum externis servet; cum Svecis ac Moscis republica conscia de pace agat; fratres, quibus in regno proventus, & in his novus Cracoviensis Episcopus, more aliorum Senatorum, ut reipublicae jurent, efficiat; rem monetalem, & ex illa reditus reipublicae permittat; eadem inscia, neque militem scribat, neque bellum alicui inferat; Camenecum & Pucensem civitatem novis operibus firmet, & quatuor munimenta in finibus excitet; nullos extraneos ad consilia, dignitates, praefecturas aliaque bona admittat, aut inter milites praetorianos recipiat; uxorem ex Senatus consilio in comitiis ducat; de exornanda classe cum Ordinibus rationes ineat; pecuniam praefecturis Krzepicensi & Solecensi inscriptam, reipublicae donet, de summis autem Neapolitanis in proximis comitiis cum Ordinibus consultet:

tet: quibus alia de ſigillo privato; judiciis; bonis menſae regiae; *incompatibilibus*; dignitatibus certo tempore ac modo conferendis; militia melius ordinanda; lapidibus pretioſis theſauro regni reſtituendis; debitis computandis & ſolvendis; tributo annuo fumali aut agrario remittendo; & conſtituendis, quae in comitiis electionis conſtitui non potuerant, nec minus corrigendis, in quibus a legibus diſceſſum, adiiciebantur (***). VLADISLAVS IV. 1632.

(*) CONSTIT. a. 1633. p. 13. tit. *Candidatus.*

(**) ORDINAT. ELEC. a. 1632. p. 11. §. *A iż w tey.*

(***) PIAS. p. 447. LENG. VI. 12. 16. ORDIN. ELECT. p. 8. 11. ſ.

§. III. Celebratis Sigismundi III. & Conſtantiae uxoris, quarta Februarii an. 1633. Cracoviae exequiis, Rex Vladislaus ſexta inauguratus eſt. Sequuntur poſtridie comitia, in quibus adverſus Moſcos, qui fine induciarum non expectato, limites populati copias Smolenſco admoverant, bellum Regis ductu gerendum decernitur (*). Eodem tempore, Regis fratri, Joanni Alberto, Cracovienſi Epiſcopo, a ſummo Pontifice pileus cardinalitius miſſus, cautumque lege, ne per hanc dignitatem nova ſibi jura, praeſer- 1633.

 tim

VLADISLAVS IV. 1634.

tim quae Primati officerent, vindicaret (**). Elector autem Brandenburgicus, Georgius Wilhelmus, ut Prussiae Dux, & Bogislaus XIV. Dux Pomeraniae, ob tractus Lauenburgensem & Butaviensem, se clientes, quisque per suum legatum, professi sunt. Post comitia, Vladislaus Varsaviam, inde in Lituaniam profectus, initio Septembris Smolenscum acriter oppugnatum movit, Christophoro Radzivilo, supremo lituani exercitus Duce, qui hostes distineret, cum parte copiarum praemisso. Hic hostium aliquot munitionibus expugnatis, Regi aditum reclusit, ut vicesima quinta Septembris urbem ingrederetur, Mosci vero obsidionis successum desperantes, ac metu perculsi, ante finem Octobris, tormentis & bellico apparatu in praedam relictis, in sua castra, unum ab urbe milliare recederent. Tum Rex exercitum quadraginta circiter millium & modo obsessorem, numero inferior clausit, & Kazanovium militiae regni praefectum minorem, auxilio venientibus obviam misit, qui ultra Drohobusium incautos & catervatim incedentes, facile cecidit & dissipavit. Qui intra sua castra cincti, nulla subsidii spe, per inopiam commeatus, ad deditionem compulsi, ac sine tormentis, exceptis duodecim legionariis, & reliquo instrumento militari, suis

tantum

tantum armis instructi, vexillis complicatis, tympanis & tubis silentibus liberum abitum pacti, prima Martii anni 1634. discesserunt, quatuor mensium spatio contra Regem non militaturi. Hoc successu incitatus Vladislaus ulterius progreditur, & Drohobusio ac Viasma occupatis, Bialam obsidet, Calugae & Mosaisci praesidiarios ex oppidis in arces compellit, & ipsi urbi Moscuae arma ostentat. Tandem die decima quinta Junii, inter Drohobusium ac Viasmam, pax his legibus convenit: ut Rex, cum titulo jure suo in Moscicum regnum cedens, Michaelem pro legitimo Principe seu Czaro habeat; qui vicissim tractus per inducias anno 1618. ad tempus concessos, additis Drohobusio, Biala, Roslavia, Starodubo aliisque oppidis ac agris, Polonis perpetuo relinquat, neque Dux Smolenscensis & Czernichoviensis nominetur; idem nullum sibi jus in Livoniam, Esthoniam, Curlandiam vindicet; neuter alterius hostes milite & commeatu juvet, aut iis liberum transitum permittat, & captivi utrinque gratis dimittantur. Super haec Czarus pro belli impensis Regi summam pecuniae numerabat, & pelles mustelinas seu zibelinas in donum mittebat (†).

VLADISLAVS IV. 1634.

(*) CONSTIT. a. 1633. p. 13. tit. *Woyna Mosk.*

VLADISLAVS IV. 1634.

(**) CONSTIT. p. 19. tit. *Konſens.*

(†) PIAS. p. 457-462. p. 474-476. LENG. VI. 26. 27. 34. WASSENB. *geſt. Vlad.* part. II. p. 55-133.

§. IV. Non ſatis fuerat Moſco, arma intuliſſe Polonis, induxerat ſimul promiſſis Turcorum Caeſarem, ut bellum ex opportunitate ſumeret. Prima a Tattaris hoſtilia, qui fine Junii anni 1633. agrum Camenecenſem impune populati, cum praeda Moldaviam repetebant, quos inſecutus Koniecpolius, ſupremus exercitus poloni Dux, ad Saſovyrog fudit, ac ſpoliis exuit. Secutus Turcorum quinquaginta millium exercitus, adverſus quem Koniecpolius, contractis undecim millibus, in monte ad Camenecum munitis caſtris conſedit, pro quibus inſtructa acie hoſtes viceſima ſecunda Octobris ita excepit, ut inſigni clade repellerentur. Abazi Baſſa, qui praeerat, plura non auſus, copias in ſua caſtra trans Tyram reduxit, & vico Studzienica, qui triduum reſtiterat, igne deleto, Danubium repetiit. Miſſus inde legatus Conſtantinopolim de laeſa pace expoſtulaturus, obfirmatos in bello invenit animos, qui per nuntium, cum Moſcis transactum eſſe, adeo mutati, ut a Turcico oratore antiqua foedera, menſe Septembri anni 1634. in caſtris

ſtris Polonorum renovarentur. Ita annus ille ex duplici pace publice laetus, Regiae tamen domui ob totidem cauſas luctuoſus fuit, duobus fratribus, Joanne Alberto, Cardinale & Epiſcopo Cracovienſi, ac Alexandro Carolo natu minimo, illo Patavii in Italia die triceſimo Septembris, hoc Varſaviae exeunte Novembri, in ipſo aetatis flore defunctis (*). VLADISLAVS IV. 1634.

(*) PIAS. p. 463. 464. 474. 477. WASSENB. part. II. p. 142-162. LENG. VI. p. 27. 38. 42.

§. V. Interea induciae ſexennes cum Rege Sveciae conſtitutae, ad finem decurrebant, & initio anni 1635. Poloni & Sveci oratores, Regis Angliae & Electoris Brandenburgici legatis conciliatoribus, Hollandiam, Pruſſiae brandenburgicae oppidum, de pace congreſſi, ſed in ipſo colloquii primordio infecta re diſceſſerunt, quod Sveci, Regi Poloniae in mandati litteris titulum Regis Sveciae adſcriptum, ferre nolebant (*). Spe ergo compoſitionis dubia, in comitiis ultimo Januarii coeptis, quae bello uſui forent decernebantur (**), contractisque prope Graudentum copiis, Rex in Pruſſiam veniebat, ut ſummam imperii praeſens curaret. Neque Sveci ſibi deerant, qui milite ac omnis generis apparatu, ex ſuo regno large recepto, ad Mariaeburgum metaban- 1635.

 tur.

VLADISLAVS IV. 1635. tur. Sed non opus fuit armis, induciis, quia pax perpetua convenire non poterat, duodecima Septembris in annos viginti sex prorogatis. Hic erat fructus colloquiorum, a vicesima quarta Maji in vico Stumsdorf, haud longe Stuma civitate, habitorum, operam praeter Regis Angliae & Electoris Brandenburgici, Franciae Regis & Belgarum legatis conferentibus, transactumque his potissimum conditionibus: ut Sveci quicquid in Prussia occupaverant, redderent, Livoniam autem usque ad Dunam retinerent, & induciarum tempore de pace perpetua ageretur (***).

(*) LENG. VI. 46-51.

(**) CONSTIT. a. 1635. p. 1-3.

(***) LENG. VI. 57-78. PIAS. p. 480. 481. LONDORP. *Act. publ.* T. IV. p. 478. 480. 482.

1637. §. VI. Anno 1637. tractus Lauenburgensis & Butaviensis, vetus Pomerelliae, quae pars Prussiae, portio, sub solius Regis imperium, Ducibus Pomeraniae, qui lege fiduciaria possederant, in Bogislao XV. extinctis, redierunt (*). Eodem anno, Vladislaus matrimonium iniit cum Cecilia Renata, Ferdinandi II. Caesaris nuper defuncti filia, quae ipsi die duodecima Septembris Varsaviae, ab Archiepisco-

episcopo Gnesnensi juncta & sequenti die insignibus Regiis decorata fuit (**). Antea Rex decreverat, nova vectigalia in Prussiae & Curlandiae portibus instituere, quae ut Prussiae juribus & pactis Stumsdorfiensibus adversa erant, ita commercia non leviter turbassent: quare Gedanenses, quibus omnis res in negotiationibus, oblatis octingentis florenorum millibus, Regem anno 1636. a proposito abducebant, ad quod sequenti redibat, ac lege in comitiis lata fulciebatur (***). Jam praecipua cura, ut novum vectigal in portu Gedanensi &Pillaviensi exigeretur, quod tamen a Gedanensibus & Electore Brandenburgico impeditum, imo Daniae Rex nova hac re turbari sentiens commercia maritima, & lucrum ex vectigali, quod a navigantibus in freto Danico solvitur, minui, duabus regiis navibus, quae ad Gedanensem portum consistebant, Hafniam abductis & in fugam acta, quae Pillaviensem insederat, negotiatores novo onere liberabat. Ne tamen Regi omnis fructus, quem ex vectigali uberrimum speraverat, intercideret, actum cum Gedanensibus, ut illud a se & tota Prussia pecunia quasi redimerent, conveniteque anno 1640. summa sexcentorum florenorum millium, quae Regi minor visa, quam ut ratam haberet. Ita civitas nihil solvit, &

VLADISLAVS IV. 1637.

VLADISLAVS IV. & Rex ne irritaret exteros, vectigal omisit (†).

1637. (*) CONSTIT. a. 1637. p. 9. tit, *Reinkorporacya.* LENG. VI. 106.

(**) PIAS. p. 496. LENG. VI. 118.

(***) CONSTIT. a. 1637. p. 8. tit. *Cła morſkie.*

(†) LENG. VI. 87. 109. ſ. 119. ſ. 167.

1638. §. VII. Dum a bellis cum finitimis quies, arma in Coſacos vertuntur. Hi ut facilius continerentur, munitionem Hudack dictam, ubi Samara in Boryſthenem influit, facere placuerat, quam Coſaci, ſuae, ut vocabant, libertati inde metuentes, oppreſſis praeſidiariis, disjecerunt. Inſtauratur anno 1637. propugnaculum, & in Coſacos movet Nicolaus Potocius, minor exercitus poloni Dux, quos ultra Corſunium, ad Kumeyki oppidum profligat & regreſſos Borovitiam inſecutus, in ſuis caſtris obſidet ac inopia commeatus ad deditionem ſubigit, ea lege, ut ſibi cum praefecto ſupremo Pauluco, quatuor minorum ordinum praefectos tradant, qui Regi in comitiis ſiſti deberent, impetrata ſeditionis venia, incolumes remittendi. Sed non valuit pactum, Pauluco & caeteris capitali ſupplicio anno 1638. affectis, & bello in Coſacos, ſuis immunitatibus exutos, decreto (*). Nova dein expeditio, quae

quae multo sanguine stetit, fortiter resistentibus, qui pro sua salute pugnare credebant. Post illatas clades, Cosaci trans Borysthenem recedentes, munitis castris ad fluvium Starczam consistunt, & tolerata duorum mensium obsidione, liber abitus iis conceditur, addito promisso, restitutum iri in proximis comitiis immunitates, Cosacis vicissim novae militiae suae ordinationi se submittentibus. Non tamen promissi habita fuit ratio, & Cosaci variis modis vexati, patientiam paulo ante Regis obitum in funestam verterunt rebellionem, quae suo tempore memorabitur (**). Cum adversus Cosacos pugnaretur, aliquot praefecti Tattarici, Murcae vocantur, sub ditionem Regis concedere volebant, si modo aut ager intra Poloniam sibi assignaretur, aut quando extra regnum in campis Budziacensibus manendum, in tutelam reciperentur. Verum inconsultum videbatur, rempublicam incolis aut clientibus augere, quibus bello cum caeteris Tattaris ac Turcis involvi potuisset (***).

VLADISLAVS IV. 1638.

(*) CONSTIT. a. 1638. p. 3. tit. *Obrona* p. 5. tit. *Ordynacya.*

(**) PIAS. p. 495. 501. 502.

(***) PIAS. p. 496.

§. VIII. Fuit annus 1638. etiam captivitate

VLADISLAVS IV. vitate Joannis Casimiri, regii fratris, memorabilis, qui cum triremi Genuensi in
1638. Hispaniam navigaturus, in Provinciam, gallicam trans Rhodanum ad mare regionem, exscendisset, & Telonem martium, Massiliam, ac alios portus lustrasset, detinebatur: Gallis excusantibus, ipsum Hispanis, cum quibus bellum, addictiorem, sine litteris commeatus regnum ingressum ac munitiones curiosius speculatum esse, eoque suspicionem movisse, oram istam non alio fine exploratam, quam ut classi Hispanae praeficiendus opportuno loco invaderet. Misso in Galliam Palatino Smolenscensi, Gonsievio, Joannes Casimirus anno 1640. in libertatem restitutus, cum ipse fidem dedisset, nunquam se adversus Regem Galliae ejusque foederatos sub hostium signis militaturum: Regis autem & reipublicae nomine promissum, captivitatem nullo modo vindicatum iri (*). Memorato anno 1638. Rex cum Regina & sorore, valetudinis causa, in Austriam ad thermas Badenses ultra Viennam excurrit, & in reditu Nicolaiburgi in Moravia, Caesarem Ferdinandum III. obviam habuit: biduo cum ipso transacto, Varsaviam Octobri revertit.
1639. Inde in Lituaniam profectus, anno 1639. Vilnae Jacobum Curlandiae Ducem sollemni ritu clientem recepit (**). Quod

post

post biennium novo Prussiae Duci, Friderico Vilhelmo, Brandenburgico Electori Varsaviae contigit, novis pactis veteribus adjectis (***). Annus 1644. Regi per mortem Reginae, vicesima quarta Martii Vilnae defunctae, moerorem attulit, ex qua unus superstes filius, Sigismundus Casimirus, anno 1640. natus. Exequiae Cracoviae celebratae, ubi cum Senatoribus de ferendis Caesari adversus Ragocium Transilvaniae Principem anxiliis deliberatum, sed praevalentibus, quibus per subsidia Rempublicam alienis turbis admiscere displicebat, Rex conciliatoris partes frustra obtulit (†). Melius ei successit, cum post brevem viduitatem animum in novum matrimonium intenderet, quod anno 1645. cum Ludovica Maria, Caroli Ducis Mantuani & Nivernensis jam defuncti filia, in Gallia nata & educata, Parisiis per legatos contrahebatur; quae sequenti anno post adventum in Poloniam, Varsaviae Regi die decima Martii a summi Pontificis nuntio, Torresio, juncta, & decimaquinta Julii Cracoviae ab Archiepiscopo Gnesnensi diademate redimita fuit (††).

VLADISLAVS IV. 1639. 1644.

(*) LENG. VI. 151. 152. 172. WASSENBERGII *Carcer Gall. Jo. Casimiri.*

(**) PIAS. p. 503. 504.

(***) PV-

VLADISLAVS IV. 1644. (***) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* lib. I. §. 25. LENG. VI. 185. 187.

(†) PIAS. p. 504. 505.

(††) PIAS. p. 506. 507. LENG. VI. p. 213-215.

§. IX. Annum 1644. clades Tattarorum nobilitavit, quos triginta millium numero Poloniam ingressos, ad Ochnatovum exercitus Poloni supremus Dux Koniecpolius primo conflictu fudit, sed longe plures in fuga quam in acie perierunt (*). Inter haec, Rex rem arduam & humanas vires excedentem aggressus, in religione christiana diversos componere voluit, indicto anno 1644. Thorunium colloquio, cui a mutua caritate, qua peragendum, *caritativi* nomen impositum: cum vero Lutherani & Reformati, ut vulgo vocantur, ob constituti temporis angustiam adesse nequirent, conventus regia auctoritate ad diem vicesimam Augusti anni

1645. 1645. differebatur. Aderat, qui Principis nomine praesideret, supremus regni Cancellarius, Ossolinius, in cujus locum ante finem conventus, Castellanus Gnesnensis sufficiebatur. Catholici, Lutherani, Reformati, mittebant sacri ordinis viros, ut suae quique partis sententiam promerent, & tuerentur; illis Georg. Tiszkievicio, Samogitiae Episcopo, istis Sigismundo Guldensternio, Praefecto Stumensi,

mensi, his Sbigneo Goraiscio, Castellano Chelmensi, praepositis. Sociniani, qui in Polonia Ariani appellantur, non admissi, quod per suos errores se maxime invisos reddiderant. Catholici primi suae doctrinae formulam recitabant, quos Reformati sequebantur, quorum scriptum Catholicos adeo offendebat, ut Samogitiae Episcopus de contumelia ecclesiae suae illata quereretur, & supremus Cancellarius, famosi libelli nomine imposito, illud publicis actis inseri vetaret. Lutheranis autem lectio eorum, quae ipsi profitentur, ne quidem concessa fuit. Tum contentionibus tempus ad vicesimum primum Novembris absumptum, quo sine omni fructu colloquio finis impositus est: quod aliter fieri nequibat, singulis partibus, quae de religione multum diffidebant, veritatem se tenere, qua cedere salva conscientia haud liceret, persuasissimum habentibus (**).

VLADISLAVS IV. 1645.

(*) PIAS. p. 505.

(**) PIAS. p. 507. LENGN. VI. 225-236. HARTK. *Hist. eccles. Pruss.* lib. IV. c. 6. ACTA *conv. Thorun.* CALOVII *Hist. Syncret.* lib. III. c. 3.

§. X. Eodem anno, Rex pro sua familia a Caesare Opoliensem & Ratiboriensem in Silesia Ducatus, duodecies centies mille florenis, remissis quae ex defun-

VLADISLAVS IV. 1646.

ctae uxoris dote debebantur, emit (*). Sequenti autem, facto cum Venetis, qui Joannem Tiepoli in Poloniam legatum miserant, foedere, bellum in Turcos & Tattaros molitus, quem in finem militum delectus instituit, & pecuniaria subsidia, praeter ea quae Veneti polliciti, a summo Pontifice & reliquis Italiae Principibus sibi parare, per Comitem Magni, Oratorem suum, induxit (**). Quae cum insciis Ordinibus fierent, hi non leviter turbati, multis suspicantibus, quasi bellum contra Turcos Tattarosque obtentui sumeretur, ac Rex in cives arma vertere decrevisset, ut pro filio regni successionem obtineret. De his vehementer in comitiis expostulatum, & habito absente Rege inter Senatum & equites colloquio sancitum, ut milites dimitterentur. Simul Rex suo & successorum nomine promisit, sine Ordinum consensu, neque militem scribere, neque bellum inferre, neque cum exteris nova foedera inire, aut vetera tollere; exteros homines in consilium non adhibere aut legatos mittere; & praetorianum militem, qui primum ad sexcentos, postea mille & ducentos redactus fuit, haud augere, modo, quo is in posterum haberetur, lege descripto (***).

(*) PIASEC. p. 507.

(**) NA-

(**) NANI *Hist. Ven.* part. II. lib. 3. VLADIS-
(***) CONSTIT. a. 1646. p. 1 - 3. tit. *O zaciągu.* LAVS IV.
PIAS. p. 507. 508. LENG. VI. p. 240. 242. 1647.
245. 246.

§. XI. Attulit domesticum vulnus, idque gravissimum, annus 1647. filio Regis & quidem unico, Sigismundo Casimiro, cum ageret annum octavum, nona Augusti vita functo. Cui pater non diu superfuit, vicesimo Maji sequentis anni, Merecii in Lituania, aetatis quinquagesimo secundo, regiminis decimo sexto anno, mortuus (*). Octobri proximi prioris anni, cum Regina Thorunium venerat, unde, diremtis quae inter Ordines Prussiae controversiis, Varsaviam redux, morbo tentabatur. Restituta valetudine in Lituaniam abiit, ac Vilnae venationibus indulgens ad finem Aprilis egit. Tum Cosacorum motus & legati Gallici, qui insigne ordinis, cui a Spiritu sancto nomen est, apportabat, adventus, Regem Varsaviam revocabant, & in reditu morbus Reginae Merecii detinebat. Hic ex venatione dolores in lumbis, quibus accessit febris, mortis causa, corpore ab aliquot annis calculo & podagra admodum debilitato. Hic finis Vladislai IV. qui regno, 1648.
cujus quietem ab exteris pace & induciis firmaverat, non sine gloria praefuit, ab armis, ubi prima bene cesserant, non alie-

VLADISLAVS IV. 1648.

nus, si per Ordines fortunam iterum tentare licuisset. Imperante patre in expeditionibus saepe versatus, & vix in ejus locum evectus, cum statim in Moscum exercitum duceret. Post publico otio usus, negotiorum impatiens, in epulis & remissionibus nimius arguebatur. †Potuisset dici liberalis, nisi plura largitus, quam reditus & impensae ferrent. Natura omnibus benignus, iis, quos sua familiaritate dignatus erat, facilis & indulgens. Caeterum alienissimo Reipublicae tempore decessit, quod ejus auctoritas Cosacorum audaciam compescere potuisset, qui jam contumaciores, eo sublato quem revereri didicerant (**). His duo adhuc de Vladislao adiicienda sunt, alterum, quod in ipsis regiminis sui initiis novum ordinem militarem, nomine equitum immaculatae Virginis, instituere voluerit: quod tamen consilium, scriptis licet & a summo Pontifice Urbano VIII. probatis legibus, ad quas se novi equites componerent, omissum fuit (***). Alterum, quod anno X 1647. cursus publicos pro litteris ultro citroque commeantibus ordinaverit (†).

(*) PIAS. p. 508.

(**) LENG. VI. 267.

(***) SAPIEHAE *Annot. hist. de ord. aquilae albae* p. 125. s.

(†) CONSTIT. a. 1647. p. 9. tit. *Ordyn. poczty.*

CAP.

CAP. V.

DE JOANNE CASIMIRO.

§. I.

Post Vladislai mortem, interregnum fuit trubulentum & cladibus triste, Cosacis, dum Rex vivebat, a Theodoro, quem sui Bohdanum dicunt, Chmielnicio ad seditionem concitatis. Contraxerat primo vere, supremus exercitus Dux Nicolaus Potocius in Ucraina copias, armis ad obsequium reducturus, quos frustra monuerat, quique societati Tattarorum confisi, bellum exoptabant. Praemissus in eos supremi Ducis filius Stephanus Potocius, ad locum, cui ab aqua lutea, zołta woda nomen, profligatur. Pater qui filium secutus, ad nuncium cladis Corsunum regreditur, & intra munita castra hostium impetum fortiter sustinet, donec inopia commeatus, copiis carris pro vallo circumdatis, loco cedere cogitur. Post unius milliarii spatium, hostes prope silvam, fossis & concaedibus vehicula sistunt, & perrupta carragine, totum delent exercitum, qui non occubuerant, cum supremo & minore Duce, Potocio & Kalinovio, in captivitatem abductis: paucos admodum fuga incolumes servavit (*).

JOANNES CASIMIRUS. 1648.

JOANNES CASIMIRVS.

(*) PASTOR. *Bell. Scyt. Cosac.* p. 5 - 16. EJVSD. *Hist. Pol. plen.* p. 71 - 82. KOCHOV. *Annal. clim. I.* p. 29. s. LENG. VII. 2. 3.

1648. §. II. Duplex haec clades, mense Majo a. 1648. sub ipso Regis exitu illata, tantum pavorem incussit, ut Varsaviae trepidaretur, Cosacis in Ucraina consistentibus. Quare in minoribus, qui comitia convocationis praecedebant, conventibus, novus decretus exercitus, cum antea Primas & qui ex Senatu ac Equitibus Varsaviae aderant, tres praefectos, Vladislaum Ostrogium Palatinum Sendomiriensem, Nicolaum Ostrorogium Pocillatorem, & Alexandrum Koniecpolium Vexilliferum regni, pari auctoritate constituissent. Reliqua tum bello necessaria, tum quae paci servirent, in comitiis convocationis decima sexta Julii inchoatis sanciebantur. Erat enim aliqua compositionis spes, quod Cosaci arrepta arma necessitate excusabant, ac questi de injuriis, antiqua jura sibi restitui orabant, quibus actorum venia certis legibus in comitiis promissa, ac nominati, qui iis antiquum obsequium persuaderent (*). Dum ad Gliniani in Leopoliensi tractu novi delectus confluunt, Jeremias Viesnoviecius, Palatinus Russiae, cum sua manu bis in Cosacos feliciter pugnat, quorum Dux Chmielnicius, ob violatas a Polonis inducias compositionem

nem averſatus, cum toto exercitu centum JOANNES
circiter millium, Bialacierkvio Pilavicios CASIMI-
pergit, ac ibi in caſtris Tattarorum auxi- RVS.
lia opperitur. Eo & praefecti poloni, 1648.
quibus ſe Vieſnoviecius junxerat, cum triginta millibus tendunt, & hoſtem ante Tattarorum adventum aggredi conſtituunt. Duodeviceſima Septembris ex caſtris educit copias Chmielnicius, & duo munimenta pridie a Polonis expugnata recuperat, quod illorum animos adeo fregit, ut quaſi impares, intra carraginem Conſtantinovum recedere conſultius ducerent, & proxima nocte totus exercitus ſubito terrore perculſus in fugam effunderetur. Ita ſine pugna caſtra cum omnibus impedimentis, quorum magna copia fuerat, & octoginta machinis aeneis hoſti in praedam ceſſerunt: qui ſtatim rubram Ruſſiam ingreſſus, nona Octobris exercitum Leopoli admovit, & capta vi arce, civitatis obſidionem accepta pecunia omiſit. Idem Zamoiſcio viginti florenorum millium pretio accidit: unde Chmielnicius, poſt nuncium peractae electionis regiae, die viceſima quarta Novembris Ucrainam repetiit, Tattaris praeter aliam praedam, ingentem hominum vim, ducentorum circiter millium, abducentibus: quorum tamen vix quingenti in Tauricam perveniſſe ferebantur, reliquis, quos

JOANNES CASIMIRUS. 1648.

non fuga ſubduxerat, fame, frigore, aut morbo in via exſtinctis (**).

(*) CONFOED. GEN. a. 1648. p. 11. §. *Uwazając*. p. 19. §. *Jako*. KOCHOV. *clim. I*. p. 41. ſ.

(**) PASTOR. *Hiſt. Pol.* p. 138-192. EJVSD. *Bell. Scyt. Coſac.* p. 23-31. KOCHOV. *clim. I.* p. 49-68. p. 81-92. LENG. VII. 16. 17.

§. III. Interea comitia electionis ad ſextam Octobris ſub Varſaviam indicta fuerant, in quibus Joannes Caſimirus, qui poſt Vladislai obitum Rex Sveciae appellari voluit, & Carolus Ferdinandus, Vratislavienſis ac Plocenſis Epiſcopus, Sigismundi III. filii ſuperſtites, regnum per oratores petebant. Prior a Caeſaris, Regis Galliae, Reginae Sveciae & Electoris Brandenburgici legatis commendabatur, Nuntio Papae pro Sigismundi prole, neutro ex fratribus nominato, verba faciente. Pro Joanne autem Caſimiro Brandenburgici Electoris ſtudium eminuit, amplis promiſſis impulſi, ut pro eo niteretur. Ordines inter ſe diſſidebant, & licet validior Joannes Caſimirus, erant tamen Caroli Ferdinandi partes opibus conſpicuae, & ſuum candidatum Regem, ſi maneret diſcordia, per ſe creaturae. Avertit inteſtinum ex gemina electione malum Joannes Caſimirus, dum fratrem pactione flexit, ut incepto deſiſteret, ejus-

que

que causam apud Ordines susciperet, cujus modo competitor exstiterat. Tum in unum Joannem Casimirum suffragia conferri, isque die decima septima Novembris omniumconsensu Rex eligi, ipso Electore Brandenburgico, qua Prussiae Duce, suffragatore, cujus sententiam scriptam legati ejus ad Primatem deferri curabant. Quod quamvis novum & sine ullo priorum temporum exemplo factum, aegre tamen tulerunt legati, cum suffragium Electoris in actis interregni non legeretur, idque ne juri ejus officeret providere conati. Peracta electione, novi Principis legati in pacta conventa, quae eadem erant quibus olim Vladislaus IV. obstrictus, jurarunt, quo facto Primas Joannem Casimirum vicesima Novembris, sollemni more Regem renunciavit (*).

JOANNES CASIMIRUS. 1648.

(*) PAST. *Hist. Pol.* p. 209-227. KOCHOV. *Clim. I.* p. 71. s. LENG. VII. 23. 32. s. 48.

§. IV. In memoratis comitiis electionis, pecunia, milites, & generalis nobilitatis expeditio, adversus Cosacos decreta (*), missique ad Chmielnicium, qui de reducenda tranquillitate agerent. Post quae, decima septima Januarii anni 1649. Rex Cracoviae a Gnesnensi Archiepiscopo inaugurabatur, quem ritum exequiae 1649.

JOANNES CASIMIRVS. 1649.

Vladislai IV. praecesserant, comitia autem undevicesima sequebantur: ubi bello necessaria decreta & Ducibus ex captivitate nondum reversis, tres legati, Andreas Firlejus Belzensis, Stanislaus Lanckoronius Camenecensis Castellani, & Nicolaus Ostrorogius regni Pocillator, exercitui praepositi fuerunt (**). Eodem tempore Elector Brandenburgicus, ob Prussiae partem cliens, Regi jusjurandum per legatos dixit, venia, ne id ab ipso praestaretur, dono nonaginta florenorum millium, praeter ea quae aulicos obvenerunt, impetrata (***). Rex vero Varsaviam redux, nuptias cum vidua fratris Vladislai, fine Maji celebravit (†).

(*) ORD. ELECT. a. 1648. p. 10. tit. *Deklaracye*.

(**) PASTOR. *Hist. Pol.* p. 240-293. KOCHOV. *clim. I.* p. 97. s.

(***) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* lib. III. p. 160.

(†) KOCHOV. *clim. I.* p. 104. LENG. VII. 49.

§. V. Missi autem ad Chmielnicium, cum eo Pereaslaviae congressi, & ut delinirent, postridie adventus, ipsi insignia praefecturae Cosacicae, clavam, vulgo buława, & vexillum Regis nomine tradiderant: pro quibus conditiones futurae compositionis reportabant, induciis ad festos pentecostes dies constitutis (*).

Sed

Sed cum Cosaci per hostilia inducias tur- JOANNES barent, & Poloni vicem redderent, nulla CASIMI- jam pacis spe, utrinque bellum parabatur. RVS. Chmielnicius, junctis Tattaris, ducento- 1649. rum millium effecerat exercitum, praefecti Poloni novem circiter millia contraxerant, quae castris ad Zbarasium, in Volhinia prope Russiae fines, positis continebant. Aderat mense Julio hostis, qui nihil omisit, quo aut vi castra expugnaret, aut ad deditionem inclusos adigeret. Hi non tantum frequentes hostium impetus sed & famem fortiter sustinebant, equis & canibus in cibum mactatis, adeo ut post quinque hebdomadum spatium ad ultimas necessitates redacti viderentur. Sed opportune cum viginti millibus in subsidium Rex adventabat, cui ad Zborovium, Russiae Podoliam versus oppidum, Tattarorum Regulus & Chmielnicius cum centum & quinquaginta circiter millibus, decima quinta Augusti occurrebant, ducentis fere millibus in obsidione castrorum relictis. Acris tum pugna donec hostis cederet, qui sequenti die praelium instauravit, cum auctus aliis centum & quinquaginta millibus exercitum Polonum undique clausum teneret: sed fortiter repressus, amissis in acie decies mille, castra sua repetiit. Successit pax decima septima Augusti, qua Tattaris solitum donativum,

JOANNES CASIMIRVS. 1649. vum, ab his viciſſim ſecuritas & auxilia promiſſa, & cincti ad Zbaraſſium obſidione liberati ſunt. Chmielnicius poſt jusjurandum ad Regis gratiam admiſſus, Coſacis cum venia factorum antiqua jura reddita, & nova conceſſa. Super haec Chmielnicius tractum Czechrynenſem beneficiaria lege recipiebat. Bello hoc modo patrato, Coſaci ad ſua, Tattari in Tauricam, Rex dimiſſis copiis Leopolim, inde Varſaviam rediit (**). Non fuit illa tempeſtate motibus Coſacicis intacta Litvania, ſed cladibus repreſſi hoſtes, Joanne Radzivilio exercitus minore Duce, fortiter & provide rem adminiſtrante. Zboroviana transactio & magno illi ducatui quietem reddidit (***).

(*) PASTOR. *Hiſt. Pol.* p. 293-314. KOCHOV. *clim. I.* p. 107. ſ.

(**) PASTOR. *Bell. Scyt. Coſac.* p. 37. 76. KOCHOV. p. 113. ſ. LENG. VII. 51. 53-55.

(***) PAST. *Bell. Scyt. Coſac.* p. 77-95. KOCHOV. p. 155. ſ.

1650. §. VI. Et iſta quidem pax minus fuit diuturna. Chmielnicius vix in Ucrainam reverſus novas agitabat turbas, & Tattaris confiſus, Moſcos Turcosque in Poloniam ſollicitabat, ut Rex, intentus in haec molimina, Potocio ſupremo exercitus Duci,

Duci, nuper cum praefecto minore Kali- JOANNES
novio, ex captivitate Tattarica reduci, CASIMI-
ſub Camenecum metari injungeret. Ma- RUS.
le haec caſtrorum vicinitas Coſacos habe- 1650.
bat, & cum Potocius manum praedatorum funderet, captivosque palis per corpora adactis ultimo ſupplicio multaret, Chmielnicius rem apud Tattaros in ſummam invidiam adducere, quaſi violata eſſet compoſitio, quam ipſe prior temeraſſe a Polonis arguebatur. Ut ergo bellum, quod iterum imminebat, propulſaretur, in extraordinariis comitiis fine anni 1650. conſilia collata, & cum expeditione nobilitatis generali, pecunia in militem decreta, ita tamen, ut ante arma, cum Coſacis de ſervando Zboroviano pacto ageretur (*). Sed ne admiſſis quidem a 1651.
Chmielnicio, quibus id negotii datum, ſola vis ſupererat. Orſi hoſtilia Coſaci, qui numero trium millium tractum quendam populati, quos Kalinovius minor exercitus Dux cecidit, neque in alios ad Vinniciam male pugnans, donec multitudini cederet, & inſequentibus viginti millibus, ſalvus in caſtra ad Socalum, ubi metabatur Potocius, menſe Majo anno 1651. perveniret: Cameneco interea minus feliciter a ſeptuaginta hoſtium millibus tentato. Confluebant in dicta caſtra recens ſcripti milites, & excitae nobilitatis pars, ipſeque Rex

JOANNES CASIMIRUS. 1651.

Rex die viceſima quarta Maji aderat. Luſtratus exercitus centum millium ferebatur, quem Rex Bereſteciam, in finibus palatinatus Belzenſis oppidum, duxit, ulterius progreſſurus, ni Chmielnicius & Tattarorum Regulus cum trecentis millibus adventaſſent. Poſt conflictus minores primo Julii totis viribus certatum, Rege mediam aciem, Duce majore dextram, minore ſiniſtram alam, curantibus. Primus Palatini Ruſſiae Jeremiae Viesnoviecii in dextrum cornu impetus, quem cum ſecuti alii, hoſtis poſt acrem defenſionem loco pulſus, Tattaris in proximum montem, Coſacis in ſuam carraginem ſe recipientibus. Poſtea Rex invectus, hoſtes, cum vim ſuſtinere non valerent, in fugam egit. Supererant, quos carrago tutabatur, Coſaci, numero, ut perhibetur, ducentorum millium. Hi cincti a regio exercitu, auxilia deſperantes, primum deditionem offerre, deinde conditiones averſantes, recuſare, tandem decima Julii repentino terrore ex averſa caſtrorum parte in fugam ruere: ex quibus Poloni qui illorum tergis immiſſi, multos trucidarunt, alii in paludibus perierunt; caſtra cum tormentis duodeviginti & aliarum rerum magna praeda, victoribus ceſſerunt. Rex poſt hanc hoſtis ſtragem aliquantum progreſſus, Varſaviam die decima Auguſti

rediit,

rediit, nobilitate dilabente, & exercitu Ducibus permiſſo, qui pergebant, cum Radzivilius per Lituaniam cum magni ducatus exercitu Kioviam, Coſacis ob ſacrorum communionem addictiorem, tenderet, quae ultro deditionem fecit. Juncto ad Chvaſtovum cis Bialacerkviam utroque exercitu, Chmielnicius, cui multa tentanti nihil proceſſerat, pacem oravit, quae ipſi viceſima ſeptima Septembris ita data eſt, ut Coſacico exercitu Regi militaturo, ad viginti millia redacto, tractus, in quibus locandus, ipſi aſſignarentur; antiqua graecae religionis libertas firmaretur, & Coſaci obſtringerentur, ut foedere Tattarorum ſublato, in poſterum neque cum iis, neque cum aliis adverſus Poloniam amicitiam colerent, ſed ſi in illos arma vertenda, ſe exercitui Regni jungerent. Poſtridie Chmielnicius in caſtra veniens ſupremum Ducem coram deprecatus, ac proceres omnes ſalutationis officio coluit (**).

JOANNES CASIMIRUS. 1651.

(*) CONSTIT. a. 1650. p. 3. tit. *Poſpolite.* p. 9. tit. *Deklaracya.* p. 3. tit. *Kommiſſya.*

(**) PASTOR. *Bell. Scyt. Coſac.* p. 97 - 263. KOCHOV. *clim. I.* p. 220. ſ. LENG. VII. 79. 80.

§. VII. Eodem anno cum Regina Sveciae de pace actum, miſſis utrinque Lubecam oratoribus ſolo Gallico legato

ex

JOANNES CASIMIRUS. 1652.

ex conciliatoribus praeſente. Sed caruit ſucceſſu congreſſus, Polonis Livoniam, & ut Regis ſui in Sveciam jus digno praemio compenſaretur, poſtulantibus. Placuit tamen menſe Octobri anno 1652. conventum Lubecae inſtaurare, quo praeter Regis Galliae, Venetorum, Belgarum, & Electoris Brandenburgici legati veniebant, compoſitionem juncta opera procuraturi. Verum Sveci negotium ingredi detrectarunt, cum Poloni mandatum ſuum ſigillo munitum exhiberent, in quo Sveciae titulus & inſigne, utrumque ſoli ſuae Reginae aſſerentes. Hinc longa de alio ſigillo diſceptatio, nullo in publicum fructu: legati enim poſt aliquot menſium moram, re omni infecta, menſe Martio a. 1653. diſceſſerunt (*). Ita bellum aliquando a Svecis metuendum erat, quod jam tertium cum Coſacis Tattarisque gerebatur. Nam compoſita cum Chmielnicio nuper pax minus erat fida, manente Tattarorum ſocietate, ac Turcis ſpem Coſacici Ducis ſoventibus, qui ante finem anni 1651. ſuos in Braclavienſi palatinatu per edictum certiores reddebat, primo vere Polonorum, ut vocabat, jugo liberatum iri. Monebat inde Rex Ordines, ut novis motibus ſuis conſiliis in tempore occurrerent, a quibus in comitiis, die viceſima ſexta Januarii a. 1652. inchoatis, nihil con-

conſtitui poterat, quia rumpebantur, & JOANNES quidem, quod maxime memorabile pri- CASIMI- mumque fuit exemplum, ab uno nobilita- RVS. tis nuncio, quem Siczynſcium vocatum, 1652. & ex Upicenſi Lituaniae tractu fuiſſe, commentarii illorum temporum tradunt (**).

(*) PVFEND. *de reb. Svec.* lib. XXIII. §. 18. ſ. XXIV. 27. ſ. XXV. 1. ſ. LENG. T. VII. 82-84. 101. 103.

(**) LENG. T. VII. 89.

§. VIII. Perfidia Coſacorum initio Junii memorati anni 1652. in novam Polonorum cladem erupit. Timotheus enim Chmielnicius, praefecti Coſacici filius, junctus Tattaris, Kalinovium, minorem poloni exercitus Ducem, qui ad Batoh in Braclavienſi palatinatu cum novem circiter millibus metabatur, ex improviſo aggreſſus, copias omnes delevit, ipſo Duce occumbente. Quare illo anno altera celebrata comitia, ubi non tantum ſecuritati regni proſpectum, ſed etiam Hieronymus Radziejovius, modo regni Procancellarius, jam exul, publica lege hoſtis patriae declaratus, cum ex interceptis litteris conſtaret, eum Coſacos non tantum in ſua ſeditione obfirmare, ſed iis etiam Reginae Sveciae tutelam procuraſſe (*). Hic vir, die viceſima Januarii coram Judicio Mareſchalcali fama & ca-

JOANNES CASIMIRVS. 1652.

pite damnatus, & cum se subduxisset, proscriptus fuerat, vera decreti hujus causa adhuc latente, cum cujus nomine in jus vocatus, mitius vindicanda videatur. Abierat Radziejovius, Regis gratia nequicquam implorata, Viennam, hinc in Sveciam, unde scriptae ad Cosacos litterae erant, & ubi is primum Reginam Christinam, & post eam, Carolum Gustavum ad bellum Poloniae inferendum accendebat, suas, quas praedicabat, injurias patriae calamitate ulturus (**). Quod autem ad Cosacos, mittebat Chmielnicius pater ad comitia, qui omnem illatae cladis culpam amolirentur, ipsumque filium excusarent, quod a Kalinovio ad arma provocatus fuisset. Mox inimicum prodebat animum, cum Camenecum oppugnaret, irrito quamvis conatu, quia acriter resistentibus praesidiariis, castra ejus pestis invaserat. Rex contra, pacis eum admonens, exegit, ut nihil commune cum Tattaris haberet & filium minorem obsidem traderet; Chmielnicio utrumque negante (***).

(*) CONSTIT. a. 1652. p. 7. tit. *Poena perduellionis.*

(**) KOCHOV. clim. I. 317. LENGN. T. VII. 89-91. 94. 95.

(***) KOCHOV. clim. I. 347. s.

§. IX.

§. IX. Cum ergo expedienda arma, JOANNES Rex a. 1653. in Cosacos exercitum duxit, CASIMIRVS. & Octobri mense, ad oppidum Zwanecium, inter Camenecum & Tyram fluvium, castra posuit. 1653. Hic post varios conflictus minores, cum Tattaris decima sexta Decembris transigitur, qui salvo donativo amicitiam promittunt, & pro Cosacis paciscuntur, ut, si ad obsequium redierint, pace Zboroviana fruantur (*). Verum hi bellum malebant, magno Moscorum Principi, cujus tutelae se permiserant, confisi. Aderant pro iis a. 1654. duo exercitus, 1654. alter Lituaniam, Ucrainam alter ingrediens, cui in finibus Chmielnicius occurrit, & nomine magni Principis, Ucraina lege fiduciaria donatur in praefectura Cosacici exercitus confirmatus. Copiae quae Lituaniam ingressae, quibusque ipse Czarus aderat, eo usi successu, ut Drohobuzium, Nevelam, Mohiloviam, Polociam & loca alia, brevi caperent. Ad Sclovum in palatinatu Mscislaviensi, Joannes Radzivilius, supremus exercitus Lituani Dux, cum decem millibus se hosti objiciebat, pugnam ante Gansievii, minoris praefecti, adventum festinans, quo victoria, quam animo praeceperat, solus frueretur. Sed res contra evenit, actus enim Radzivilius, multis suorum amissis, in fugam, & Czarus cum maxima exerci-

JOANNES CASIMIRUS. 1654.

tus parte, caeteris in interiora Lituaniae excurrentibus, Smolenſcum regreſſus, civitatem operibus firmam, ac duobus militum & quatuor nobilium millibus inſeſſam, undetriceſima Septembris ſegni oppugnatione ad deditionem, non ſine proditionis ſuſpicione, qua Obuchovius loci Palatinus premebatur, compulit. Ad famam captae urbis, Rex in Lituaniam properavit, unde quod juſto exercitu deſtitutus infectis rebus Varſaviam rediit; Moſcis, quibus poſt Smolenſcum, Vitepſcum ceſſit, obſidionem Sclovenſem magno ſuo incommodo ſolventibus (**). Non par in Ucraina hoſtibus ſucceſſus, ubi Stanislaus Potocius & Stanislaus Lanckoronius Duces, contracto Regni exercitu, aliquot oppida, inter quae Buſſa & Braclcavia praecipua, Coſacis eripiebant. Tum Tattari duodeviginti millium numero aderant, jam in Coſacos pugnaturi,

1655. quos modo armis protexerant. Ineunte anno 1655. Moſci & Coſaci ad Humanum occurrunt, & pugna nocte poſt undecimam Januarii committitur, qua ſuperiores quidem Poloni, ſed dum fiducia victoriae remiſſiores, hoſtes reſtitutis ordinibus intra carraginem ſe recipiunt, & ſalui evadunt, tormentis & ſignis aliquot in praedam relictis. Poſt haec a Polonis oppida nonnulla capta, & Coſacicarum copiarum

piarum pars caesa, donec Duces frigore & laboribus attritum militem, mense Martio in hibernis locarent, licet paulo ante sexaginta Tattarorum millia, serum jam in praesens auxilium, advenissent (***). JOANNES CASIMIRVS. 1655.

(*) KOCHOV. *clim.* I. 393.

(**) KOCHOV. *clim.* I. 415. 427-439. LENG. T. VII. 110. 121.

(***) KOCHOV. *clim.* I. 441. f.

§. X. Bello Moscico & Cosacico fervente, novum a. 1655. cum Svecis ortum, induciis viginti sex annorum nondum finitis. Cedebat a. 1654. Christina regno Sveciae cognato suo, Carolo Gustavo, Comiti Palatino ad Rhenum, stirpis Bipontinae, Caroli IX. Sveciae Regis per matrem nepoti, nequicquam contradicente Henrico Canasilio, Regis Poloniae legato, quasi juri Joannis Casimiri in Sveciam officeretur: quod novum Regem adeo irritavit, ut armis suis Poloniam destinaret. Missus quidem in Sveciam Andreas Morstinius, viam ad pacem paraturus, cui tamen adeundi Regem potestas negata, cum in litteris, quae fidem legationis faciebant, praeter alia, sigillum in quo Sveciae insignia, offenderet. Secuti duo legati ampliori facultate instructi, sed serius veniebant, copiis jam in Polo-

JOANNES CASIMIRVS. 1655.

niam tendentibus & Rege ad iter parato (*). In causam belli, violatae Canasilii contradictione, & concesso hostibus bello Germanico libero transitu, induciae; Oeselia insula & Livoni ad defectionem solicitati; consilia cum Danis, foedus cum Belgis, adversus Svecos agitata; aversus Joannis Casimiri a pace animus, & alia allegabantur. Hoc tamen potissimum Carolum Gustavum ad arma impulit, quod Polonia opibus exhausta & vim duorum hostium aegre sustinens, ad ultimas necessitates redigi posse videretur (**).

(*) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* lib. I. §. 43. II. I. 13. LENG. T. VII. 123-129. 134. 135.

(**) KOCHOV. *clim.* II. 10. 11. LONDORP. *Act. publ.* T. VII. 1001.

§. XI. Mense Julio a. 1655. Wittenbergius, copiarum Svecicarum supremus praefectus, *campi Mareschalcus* dictus, lustrato ad Dammum in Pomerania exercitu, cum septendecim millibus Poloniam majorem ingreditur, & nobilitati palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis, quae quindecim millium numero, sub Uscie prope Notecium fluvium consederat, Radzejovii potissimum opera deditionem persuadet, ut exercitio sacrorum & caeteris juribus salvis, Regi Sveciae non secus ac suo Principi pareat, ac vicissim in suis

ſuis bonis, militum ſtationibus & hibernis immunis ſervetur. Ita duo palatinatus ſua ſponte in hoſtis ditionem conceſſe- runt, qui Poſnania, Caliſſio & aliis locis praeſidio firmatis, ad Coninum caſtra metabatur. Aderat menſe Auguſto, cum altero exercitu ipſe Sveciae Rex, junctisque copiis prope oppidum Colo conſiſtebat. Venit huc miſſus a Rege Poloniae Chriſtophorus Prziemſcius, ut Carolus Guſtavus legatos de pace in caſtris ſuis exſpectaret, neque ulterius progrederetur: qui morae impatiens, Varſaviae de compoſitione agere volebat. Paucos poſt dies, civitas haec, cui ducenti tantum praeſidiarii impoſiti, omiſſa defenſione, deditionem faciebat, Rege Poloniae interea in Wittenbergium, munitis caſtris ad Opoznum in palatinatu Sendomirienſi ſe continentem, movente: quo cum Carolus Guſtavus ſuis in ſubſidium cum equitum aliquot legionibus tenderet, Rex Poloniae Czarnovam regrediebatur. Ibi utrinque acies inſtructa, ſed praelio imber interceſſit, poſt quem Rex Poloniae, relictis impedimentis, in adiacentem ſilvam copias ſubduxit, unde Cracoviam, mox in Sileſiam Glogoviam minorem ſe recepit (*).

JOANNES CASIMIRVS. 1655.

(*) PVFEND. *de reb. Car. Guſt.* II. §. 14. ſ. LENG. T. VII. 134. 135. LONDORP. *Act. publ.* T. VII. 1007. 1015. 1016.

JOANNES CASIMIRVS. 1655.

§. XII. Rex autem Sveciae, Joannem Casimirum insecutus, Cracoviam obsidione cingebat, quam Stephanus Czarniecius, Kioviensis Castellanus, cum trium millium & sexcentorum praesidio, per tres hebdomades strenue tutabatur, donec nulla auxilii spe, die decima septima Octobris cum hostibus transigeret, urbi, ex qua post biduum discessit, omnia integra, sibi & praesidiariis liberum abitum more militari, pactus. Paulo ante, Carolus Gustavus, copias quae a quarta Quartiani dictae, sub Lanckoronio, Duce exercitus minore, octo millium numero, prope Voiniciam in fugam egerat, quae obsidione Cracoviensi necdum finita, sub ejus tutelam concedunt, praeter alia, stipendio & donativo in proximis comitiis promisso, trimestri stipendii portione a Rege statim de suo solvenda. Illarum exemplum & reliquae sequebantur, ut totus regni exercitus cum suis Ducibus, in externi Principis verba juraret. Quo autem omnem Poloniam sub suam potestatem redigeret, Ordinibus, tutela sua magnifice commendata, comitia Varsaviam ad diem primam Decembris indicebat, qui licet non adessent, multi tamen palatinatus partes ejus amplectebantur (*).

(*) PVFEND. *de reb.Car.Gust.* II.§.27.s. LENG. T. VII. 135. 136. KOCHOV.*clim. II.* 43.s. LONDORP. *Act.publ.* T. VII. 1019. 1022.

§.XIII.

§. XIII. Nec minus in Litvania hoſtibus ſucceſſit, cujus intactam a Moſcis partem, expugnato in Livonia Dunaburgo, Magnus Gabriel Gardius in deditionem recepit, ut renunciato Joanni Caſimiro obſequio, Regi & regno Sveciae perpetuis temporibus pareret, juribus magni Ducatus, ſacris & civilibus, ſalvis. Pariter cum Duce Curlandiae actum, ut ex Polono Sveciae cliens fieret, ſed cum negotium in ſequentem annum protraheretur, & interea Litvani partes deſererent, nihil conſtitutum, Duci tamen, ut neutrarum partium eſſet, permiſſo (*). Par Pruſſiae, quae caeteris terris fortuna. Paraverat illa defenſionem, inibatque cum Electore Brandenburgico Novembri menſe a. 1655. foedus, ut provincia junctis viribus propugnaretur: ante quod hoſtis conſiſtentem in caſtris prope Fordanum nobilitatem Culmenſem diſſipabat, & Octobri, Hornius ex Pomerania palatinatum Pomerelliae ingrediebatur, Svezam, Tucholiam, Choinicium & alia oppida in ſuam poteſtatem redigens: cum miſſi ex claſſe ad portum Gedanenſem milites, a civitate Pucenſi cum clade reiicerentur. Secutus ex Polonia Sveciae Rex cum juſto exercitu, Thorunio & Elbingae, quod ſuſtinendae obſidioni impares, menſe Decembri deditionem perſuaſit, praeter

JOANNES CASIMIRUS. 1655.

JOANNES CASIMIRUS. 1655.

quas, Strasburgum, Golba, Meva, Dirſavia, Stargardum & alia in ditionem ejus conceſſerunt. Cum Electore Brandenburgico Regiomonte, menſe Januario a. 1656. ita transactum, ut Pruſſiae ſuae nomine, in Regis & regni Sveciae clientela eſſet, ſimul Varmiam lege beneficiaria teneret, praeter Frauenburgum cum ſuo tractu, quod Regi relinqueretur (**).

(*) PUFEND. *de reb. Car. Guſt.* II. §. 39. ſ. §. 49. LONDORP. *Act. publ.* T. VII. 1017. 1033.

(**) PUFEND. *de reb. Car. Guſt.* II. §. 62. ſeq. *de reb. Frid. Wilh.* V. §. 58. ſ. §. 70. ſ. LENG. T. VII. 137-152. LONDORP. *Act. publ.* T. VII. 1040. 1115.

§. XIV. Haud ſegnius Moſci & Coſaci bellum urgebant. Illi impune per Litvaniam arma circumferentes, poſt Minſcum & alia loca, Vilnam praeſidio vacuam occuparunt. Hi, junctis Moſcis, ſexaginta millia conficientes, Ruſſiam rubram invaſerunt, & modica, quae ſupererat, Polonorum manu ad Grodecum diſperſa, Leopolim obſidione in alterum menſem fruſtra cinxerunt, tum vicinas terras ad Viſtulam usque populati, Lublinum exuſſerunt (*). Fracti tot cladibus Poloni, jam melius de rebus ſuis ſperare incipiunt, cum fine anni 1655. Czenſtochova Svecis non cedit; milites & pa-

latina-

latinatus aliquot adverſus eos, tanquam publicos hoſtes, pro religione, Rege & patriae libertate, undetriceſima Decembris Tyſſeviciis foedus ineunt; & initio ſequentis anni, Joannes Caſimirus ex Sileſia in Poloniam revertitur (**). Superatis, qui ab Hungaria Poloniam dividunt, montibus, Duclae in palatinatu Sendomirienſi, Rex ſupremum regni Mareſchalcum obvium habet; Leopoli, quo iter perexerat, per edicta cives, ad ſubveniendum oppreſſae exterorum armis patriae incitat; & quo certior divinae opis eſſet, ſe regnumque Sanctae Mariae Virginis tutelae, conceptis verbis committit (***). Agebat eo tempore Carolus Guſtavus in Pruſſia, ubi Mariaeburgum civitas ſponte oppidanorum, arx decima ſexta Martii a. 1656. deditione praeſidii capiebatur, nobilitas autem, ut ejus imperium ſubiret, paſſim dimiſſis litteris monebatur. At comperto Regem Poloniae Leopoli adeſſe, nobiles militemque, exuto quod victori promiſerat, obſequio, undique confluere, & bellum fere pro confecto habitum, renovari, Carolus Guſtavus cum equitatu in majorem, mox minorem Poloniam feſtinavit, ac trajecta ad Caſimiriam Viſtula, Czarniecium, Caſtellanum Kiovienſem, qui duodecim millium contraxerat exercitum ad Golembium die duodeviceſima Febru-

JOANNES CASIMIRVS. 1656.

arii

JOANNES CASIMIRUS. 1656.

arii cecidit. Inde iter Zamoiſcium verſus, quod ſpes injecta, ultro civitatem deditionem facturam, ſi arma oſtentarentur: qua defenſionem parante, Rex commeatu & machinis grandioribus deſtitutus, Jaroslaviam in Ruſſiam flexit, ut copias via, frigore, & crebris conflictibus feſſas & imminutas, reficeret. Iter illuc ob Czarnecii aſſultus infeſtum, datisque ad Jaroslaviam diebus aliquot, quantum per Polonos licebat, quieti, Sendomiriam regredi placuit. Carpebat incedentes Czarniecius, qui duodetriceſima Martii hoſtibus in caſtris ad Niſcovium magnam cladem intuliſſet, niſi Regis vigilantia impetum repreſſiſſet. Poſt multas difficultates, non ſine magna impedimentorum jactura, loco ubi Sanus Viſtulae jungitur, Sveci conſiſtunt, clauſique duobus fluminibus, quorum adverſas ripas Poloni Litvanique inſederant, ultimum diſcrimen adiiſſe videbantur. Sed dum in eo Rex eſt, ut cymbis & ponte Sanum transmittat, & die quinta Aprilis trecenti pedites, facta excenſione, munimenta Litvanorum capiunt, horum exercitus, qui octo millium ſub Palatino Vilnenſi, Paulo Sapieha, ibi metabatur, ſe in fugam coniicit, caſtris cum omni apparatu in praedam relictis. Tum reditus Varſaviam patebat, ſed eodem fere tempore, Fridericus Marchio Baden-

Badensis, viginti quatuor equitum, decem dimacharum signa ducens, ad Varcam a Czarniecio profligabatur, ut Marchio cum centum & octo equitibus aegre Czerscum evaderet: unde tolerata per biduum obsidione, post Polonorum ad famam adventantis Regis discessum, Varsaviam venit, quem mox Rex sequebatur (†).

JOANNES CASIMIRUS. 1656.

(*) KOCHOV. *clim. II.* 34-37.

(**) KOCHOV. *clim. II.* 77. 98. KORDECII *Gygantomachia.* KOBIERZ. *obsidio clari montis Czenst.* LENG. T. VII. 154. 155.

(***) KOCHOV. *clim. II.* p. 103-107.

(†) PUFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 4-13. LONDORP. VII. 1137. 1138.

§. XV. Parum Varsaviae moratus Carolus Gustavus, adversus Czarniecium in majorem Poloniam tendit, unde in Prussiam avocatus, fratri Adolpho Joanni exercitum permittit, qui ad Gnesnam octavo Maji Czarniecium fundit. Contra Regi minus successit, cum Gedanenses sibi adjungere conaretur, qui fidem, qua Principi suo obstricti, speciosis conditionibus praeferentes, externum Dominum aversabantur. Tum versis in eos armis, duae in agro ipsorum munitiones expugnatae, & aggeres Radaunae perfossi, quo urbi aqua interciperetur. Interea Carolus

JOANNES CASIMIRVS. 1656.

lus Gustavus in Cujaviam excurrens, Czarniecium ad Occinum caedit, & in Prussiam reversus, Mariaeburgi cum Electore Brandenburgico, decima quinta Junii, novum foedus sancit, quo mutua auxilia, & Electori in pretium navandae operae, palatinatus Posnaniensis, Calissiensis, Lenciciensis, Siradiensis, & tractus Vieluensis cum supremo in eos dominio permittebantur (*).

(*) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 15-20. *de reb. Frider. Wilh.* VI. §. 26-29. LENG. T. VII. 158-161. LONDORP. VII. 1142. 1144. 1147. 1152.

§. XVI. Adhuc de foedere illo agebatur, cum Varsaviam Joannes Casimirus obsideret. Venerat is mense Majo Leopoli cum millibus viginti, cui Czarniecius, Lubomirius & Vilnensis Palatinus, Sapieha, quisque cum suis copiis juncti, sexaginta bellatorum millia efficiebant. In urbe adversus vim parum munita, modicum quindecim centuriarum sub tribuno Veihero erat praesidium, at ingens praeda ex Polonia congesta, ut tempestivo ad navigandum mari, in Sveciam aveheretur. Praeterea insigniores aliquot viri militares, & negotiorum administri, inter quos Wittenbergius, praecipuus copiarum Dux, Oxenstierna, Vrangelius,

Erskei-

Erskeinus, alii; nec minus matronae opti- JOANNES mates, quibus per hiemem hoſpitium Varſavia praebuerat. Duravit oppugnatio ad triceſimam Junii, qua poſt acrem defenſionem deditionis leges convenerunt, quibus hoſtibus, relicta praeda Polona, incolumis Thorunium abitus conceſſus, ſed nobilitate & militibus flagitantibus, Wittenbergius & alii, qui ad praeſidium non pertinebant, cum tribuno Veihero detenti fuerunt, ſive ex alia cauſa, ſive quod Sveci primi, ut arguebantur, pactum deditionis Cracovienſis proximo anno temeraſſent (*). Non poterat ſubvenire obſeſſis Carolus Guſtavus, ſed recepta jam a Rege ſuo urbe, cum Electore Brandenburgico, qui ſuas copias ad Novodvorum junxerat, adventabat. Occurrit Rex Poloniae cis Viſtulam ad Pragam, cum exercitu undequadraginta millium, coepitque praelium duodetriceſimo Julii, quo triduum certatum, donec Poloni, caſtris & tormentis hoſti relictis, cederent. Varſavia milite vacua ſub poteſtatem Svecorum rediit, qui disjectis munimentis, ac machinis & apparatu bellico avecto, modicum impoſuerunt praeſidium, quod ſi Poloni appropinquarent, Thorunium ſe reciperet. Neque alius ex victoria fructus fuit, Electore Brandenburgico in ſuam Pruſſiam feſtinante, quo

CASIMIRVS.
1656.

Joan-

JOANNES CASIMIRVS. 1656. Joanni Casimiro post pugnam Lublinum profecto, dispersas colligendi copias spatium datum. Ipse Carolus Gustavus Prussiam Polonicam repetebat, & Brandenburgicam minor Litvanicarum copiarum Dux, Gansievius, Tattarorum auxiliis firmatus, Octobri mense invadebat, a quo Sveci ac Brandenburgici sub Valdecciae Comite ad Liccam caedebantur, Principe Boguslao Radzivilio ac Israële Ridderhielmio, supremo apud Svecos excubiarum praefecto, praeter alios, captis. Sed reddidit vicem paucis diebus, Steenbockius, qui post discessum Tattarorum, Gansievium ad Philippovam aggressus fudit ac Radzivilium recepit (**).

(*) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 23. KOCHOV. *clim. II.* 135. s.

(**) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 24-31. LENG. T. VII. 162. 165.

§. XVII. Eodem tempore Rex Sveciae, nutantem Electorem Brandenburgicum, nova pactione, Labiaviae vicesimo Novembris 1656. facta, firmavit: qua, clientela sublata, illi ejusque stirpi masculae, Prussiae & Varmiae, quas cliens tenuerat, praeter agrum Frauenburgensem, supremum dominium collatum, ut, manente perpetuo cum Svecia foedere, si nulli ex Electore posteri masculi, Varmia

plane

plane ad Reges Sveciae rediret, Pruſſia autem Marchionibus in Franconia Brandenburgicis, lege beneficiaria permitteretur. Mutua auxilia, praeſenti bello ex pacto Mariaeburgenſi praeſtanda, ad certum militum numerum redacta, & ſi poſt pacem, alteruter ob parta bello armis peteretur, ut bis mille quingenti pedites, & mille quingenti equites ſubmitterentur. Haec potiora eorum, quae palam convenerant, quibus clam, cum alia, tum quae Regi Sveciae per pacem cedendae terrae, ac tractus in quos poſt illam, auxilia ab Electore mittenda, adjiciebantur: cujus nomine ſimul promittebatur, redditurum ipſum majorem Poloniam, niſi aliter cum Rege Poloniae tranſigi poſſet (*). Non minor Joanni Caſimiro cura, bellum cum Moſco componere, ac ſibi conciliatum in Svecum concitare, in quo legatorum Caeſaris apud Czarum opera ſucceſſit, inducias ad finem anni 1656. obtinentium, ut interea de pace & foedere agi poſſet. In congreſſu Vilnenſi, tertia Novembris induciae ad prima comitia proferebantur, ubi de ſucceſſione Czari poſt Joannis Caſimiri mortem conſultaretur, armis interea in Svecum & Electorem vertendis, ſi hic in ſocietate cum communi hoſte perſtaret (**). Antea Gedanenſes a foederatis Belgis mille & trecentos milites, qui-

JOANNES CASIMIRUS. 1656.

JOANNES CASIMIRUS. 1656.

bus praesidium augeretur impetraverant, quorum etiam classis maritimae negotiationi prospexerat, ad portum urbis per aliquot menses consistens, unde medio autumno in Belgium renavigabat (***). Octobri Rex Joannes Casimirus Lublino per majorem Poloniam in Pomerelliam venit, ac Gedani usque ad ultimum Januarii sequentis anni, quo in Poloniam regressus, egit; militibus in castris ad Langenavum vicum consistentibus, donec fine anni sub hostis accessu, non levi impedimentorum jactura, equitatus Choiniciam tenderet, peditatus propius Gedanum accederet: insecuti tamen Sveci, utrumque male habuerunt, simul Choinicia a Polonis capta sub eorum ditionem rediit. Eodem tempore, Regis Galliae & Batavorum legati, prono in eandem operam Brandenburgico Electore, pro pace frustra nitebantur, quod Rex Sveciae ex bello praemium sibi deposceret, Poloni autem, nisi integris Regni sui finibus, transigere nollent (†).

(*) PUFEND. *de reb. Frid. Wilh.* VI. §. 45. 46. *de reb. Car. Gust.* III. §. 35. 36. LENG. T. VII. 166. 167. LONDORP. *Act. publ.* VII. 1188. 1192.

(**) KOCHOV. *clim. II.* 179. LONDORP. VII. 1184. VIII. 18.

(***) LENG.

(***) LENG. T. VII. 168-171.

(†) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 38-40. 57. LENG. T. VII. 173-175.

JOANNES CASIMIRVS. 1657.

§. XVIII. Moſcum, quem per inducias delinitum memoravimus, novus hoſtis excepit. Georgius Ragocius Tranſilvaniae Princeps, magnificis promiſſis, ut Poloniam minorem, Ruſſiam rubram, partem Litvaniae & Maſoviae ad Bugum usque fluvium, cum Regio titulo, haberet, a Carolo Guſtavo illectus, conflato ex Tranſilvanis, Hungaris, Valachis & Coſacis, quinquaginta circiter millium exercitu, initio anni 1657, per Carpaten montem Pocutiam, inde Ruſſiam rubram ingrediebatur, cum Poloni ſpe ſucceſſionis in Regnum nequicquam eum tentaſſent. Ne tamen infeſto animo veniſſe videretur, amicum & tutorem reipublicae ſe ferebat, qui ideo arma cepiſſet, ut omnia in priſtinum ſtatum reſtitueret. Poſt ejus adventum, Lubomirius obſidionem, qua Cracoviam quinque menſes cinxerat, ſolvit, quam urbem Ragocius duodetriceſima Martii introiit. Rex Sveciae ex Pruſſia diſcedens, cum ſeptem millibus ad novum ſuum foederatum feſtinat, qui ei prima Aprilis prope Ivaniſciam, in palatinatu Sendomirienſi modica manu ſtipatus occurrit, totoque ejus exercitu ad Zavicho-

JOANNES CASIMIRUS. 1657. ſtum Viſtulam trajecto, Breſta in Litvania viceſimo tertio Maji ad deditionem ſubigitur, ac Ragocio permittitur. Sed brevis admodum haec armorum fuit ſocietas, quod illatum a Rege Daniae Svecis bellum, Carolum Guſtavum in ſuum Regnum revocabat. Quare iter Maſoviam verſus flexit, quo eum comitatus Ragocius, Varſaviam a Polonico praeſidio inſeſſam cepit, ſed Rege in Pruſſiam digrediente, ipſe relicta Varſavia reditum in Tranſilvaniam cogitavit. Venit duodeviceſima Junii Thorunium Carolus Guſtavus, ac Pruſſia fratri Adolpho Joanni mandata, Brombergam abiit, unde cum ſex millibus per fines majoris Poloniae, ac Pomeraniam ulteriorem in ſuam, nunquam reverſurus abiit (*). Tum Ragocius copiis ſuis diffiſus, non militari more recedere, ſed fugere, Polonis qui acriter inſequebantur ultimum agmen carpentibus. Ad Miedzybocum in Volhinia, deſertus a Coſacis & Valachis, cum Potocio ſupremo exercitus Regni Duce, viceſima tertia Julii pacem ſibi indecoram componit, qua liberum abitum pactus, pro illatis damnis quadringenta imperialium nummorum millia; Hano Tattarorum donativum; ad Regem & Rempublicam legationem quae motum bellum deprecaretur; & praeter alia, praeſidia ſua

Cra-

Cracovia & Breſta deductum iri promittit. Ipſe cum praecipuis ex nobilitate in Tranſilvaniam feſtinat, ſed relictus ſub Jano Keminio exercitus, a Tattaris invaditur, & captis cum Duce ſuo undecim millibus, octo millia ac ſexcenti evadunt (**). JOANNES CASIMIRUS. 1657.

(*) PVFEND. *de reb. Car. Guſt.* IV. §. 9-20. KOCHOV. *clim. II.* lib. III. LENG. VII. 175. 177.

(**) PVFEND. *de reb. Car. Guſt.* IV. §. 21. KOCHOV. *clim. II.* lib. III. p. 222. ſeq. LONDORP. VIII. 156.

§. XIX. Nondum regno exceſſerat Ragocius, cum Auſtriaca auxilia ingrederentur. Erat jam circa finem proximi anni foedus cum Caeſare Ferdinando III. in Svecos ictum, quod illo mortuo, cum filio ejus Leopoldo, Hungariae Rege, nondum Imperatore, viceſima ſeptima Maji repetitum, & in nonnullis mutatum fuit. Promittebatur Polonis in auxilium ſedecim millium exercitus, pro quo ab his quingenta millia florenorum Rhenenſium repraeſentanda, & ſingulis annis praeter hiberna & annonam, trecenta millia numeranda eſſent: addito, ſucceſſorem Joannis Caſimiri ex domo Auſtriaca petitum iri. Copiae iſtae initio Junii Cracovienſem palatinatum, ductu Hatzfeldii Comitis, titulo campi, ut vocamus, Mareſchal-

JOANNES CASIMIRUS. 1657.

ci insignis, intrantes, Cracoviam, ipso Rege cum Polonis praesente, obsidione cingebant. Tuebantur urbem ter mille & centum Sveci, ac duo millia Transilvanorum, Paulo Virtzio praefecto, qui, cum Transilvani ex pacto cum Ragocio discessissent, quo militem veteranum Regi suo servaret, impetrato incolumi in Pomeraniam abitu, mense Augusto [deditionem fecit: Posnania, cui Brandenburgicum praesidium impositum fuerat, paulo ante recepta. In Prussia, Austriaci Golba expugnata Thorunium frustra tentant, Dirsaviam autem & Leoburgum hostes sponte deserunt (*). Sed praecipui momenti habebatur, Electorem Brandenburgicum a partibus Svecicis abstractum, magno quamvis impendio, amicitiam instaurasse. Actum de illa inter ejus & Regis Poloniae oratores, ac Velaviae, Regis Hungariae legato, Lisola, pacificatore, undevicesima Septembris convenit, ut Elector a clientela liber, perpetuo tamen foedere Poloniae junctus, cum omni stirpe mascula, Prussiam suam, juribus incolarum integris, pleno dominio possideret, nullo autem ex eo virilis sexus, provincia Marchionibus in Franconia, in feudum antiquis legibus conferretur: additis mille quingentorum peditum & quingentorum equitum auxiliis, contra hostes aeternum invicem

vicem praestandis. Inita simul armorum societas adversus Svecum ejusque foederatos, cum praesenti bello, tum confecto illo, decem annos mansura, qua ab Electore sex millia militum, a Rege Poloniae auxilia, numero non definito, promissa fuerunt. Quando autem pro illo subsidio Electoris nomine insigne aliquod praemium postulabatur, res ad ejus cum Rege Poloniae colloquium dilata est. Ambo Brombergam Octobri mense congressi, hoc modo transigunt, ut Elector ejusque mascula progenies Leoburgensem & Butaviensem tractum, jure fiduciario, eo, quo olim Pomeraniae Duces habuerant, modo teneat, & Elbingam cum suo agro, quamprimum civitas hosti erepta, recipiat: quam ille redditurum se promittit, simul duodecies centies mille floreni numerati essent: pro qua facilitate Rex ei de auxiliis perpetuo praestandis, quingentos equites remittit. Super haec Electori in belli sumtus centum & viginti imperialium millia decernuntur, praefectura Drahimensi pignerata, ut eam occuparet, nisi intra triennium pecunia fuisset soluta (**).

JOANNES CASIMIRUS. 1657.

(*) LONDORP. VIII. 56. PUFEND. *de reb. Car. Gust.* III. §. 40. *de reb. Frider. Wilh.* VI. §. 63. KOCHOV. *clim. II.* 229. s. LENG. T. VII. 178. 179.

JOANNES CASIMIRVS. (**) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* VI. §.77-82. LONDORP. VIII. 170. 205. LENG. VII. 181-189.

1658. §. XX. Poſt finem congreſſus, Rex nona Novembris Bromberga Poſnaniam contendit, & a. 1658. Varſaviam, ubi menſe Februario Senatus conſilium habitum, in quo de pace, de bello & publicis ſumtibus relatum, nullo tamen fructu, quia omnia ad comitia differre placuit: Rege vacuos Litvaniae Cancellariatus, majorem Chriſtophoro Pacio, Alexandro Naruſzevicio minorem conferente. In comitiis, pacta cum Regibus Hungariae & Daniae ac Brandenburgico Electore, publica lege rata habita (*); nec minus pecunia in bellum decreta, ſpe tamen componendae pacis, legati qui de ea agerent lecti fuerunt (**). Socinianis vero, aut ut in Polonia vocantur, Arianis, funeſta haec fuerunt comitia, qui ex veteri Vladislai Jagellonis in *haereticos* ſtatuto, capite, fama, bonis multandi, niſi intra triennium, aut errores ſuos ejuraverint, aut Regno exierint (***). Aderat Moſcicus legatus, effecturus, ut injecta Principi ſuo ſucceſſionis ſpes, publico ſcito firmaretur. At cum ob peſtem finis comitiorum feſtinaretur, tanti momenti negotium tempore magis opportuno tractare ſatius viſum (†).

(*) CON-

(*) CONSTIT. a. 1658. p. 1. 2. tit. *Approbacya.* JOANNES

(**) CONSTIT. a. 1658. p. 42. tit. *Deklaracye* CASIMI-
p. 14. tit. *Kommissya.* RVS.

(***) CONSTIT. a. 1658. p. 1. tit. *Sektá.* 1658.

(†) KOCHOV. *clim. II.* 276. 294. 296. LENGN. T. VII. 190. 198. f.

§. XXI. Bello cum Svecis jam intra unius Prussiae limites redacto, prima erat cura Thorunium recuperare, cujus obsidio cum mense Julio a. 1658. coepit. Urbs a Caesarianis, quos adhuc Austriacos appellavimus, & Polonis, Rege Joanne Casimiro cum Regina in castra Septembri veniente, summa vi oppugnata, in Decembrem restitit, cujus vicesima secunda die de deditione transactum: qua praesidio liber abitus more militari Mariaeburgum concessus, urbs vero, juribus & pristino statu salvis, in gratiam recepta: quam Rex & Regina prima Januarii a. 1659. ingrediebantur (*). Durabat obsidio, cum 1659. sex equitum millia sub Czarnecio & Opalinio, illo Russiae, hoc Podlachiae Palatino, Regi Daniae adversus Svecos in auxilium mitterentur, qui juncti caeteris foederatis, fortiter rem gesserunt (**). Litvani, facta a. 1657. in Livoniam irruptione, castellisque aliquot captis, Rigam terra subvectione intercluserant, sequenti autem anno, amissis quae occupaverant,

JOANNES CASIMIRVS. 1659.

provincia excedebant (***). Octobri a. 1658. Dux Curlandiae, praeter medias, quas amplexus, partes, novo de annona & pecunia Svecis ſuppeditanda, pacto confiſus, a Duglaſſio ſupremo copiarum praefecto, Mitavia ex improviſo occupata, cum uxore & liberis Rigam, inde Ivanogrodam, captivus abducebatur, ac hoſtes totum Ducatum inſidebant, ex quo, ſolum Bauſcum retinentes, a. 1659. pellebantur (****). Inter Coſacos hoc anno rerum exſtitit mutatio. Theodorus ſeu Bogdanus Chmielnicius, cujus frequens ſupra facta mentio, a. 1657. mortuus, habuit in praefectura ſucceſſorem, Joannem Vyhovium, qui cum Coſacis cis Boryſthenem Ucrainam incolentibus, ad Regis rediit obſequium, in Moſci ditione, qui trans fluvium agebant, manentibus. Contigit illud amplis conditionibus, in colloquio ad Hadiacz decima ſexta Septembris praeſentis anni perſcriptis, quae proximorum comitiorum conſtitutionibus inſertae leguntur. Vyhovio dignitas Palatini Kiovienſis, duae praefecturae jure haereditario, & alia bona dum viveret, in praemium obvenerunt (†).

(*) ZERNECKII *Thor. oppug.* p. 73.

(**) KOCHOV. *clim.* II. 319. ſ.

(***) PVFEND. *de reb. Car. Guſt.* IV. §. 53. V. §. 93.

(****) PV-

(****) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* V. §. 121. VI. §. 71. LONDORP. VIII. 452. 481. 492.

(†) KOCHOV. *clim. II.* 269. 307. 317. CONSTIT. a. 1659. p. 38. tit. *Kommiss. Hadiacka.*

JOANNES CASIMIRVS. 1659.

§. XXII. Thorunio recepto, aliquantum in Prussia arma cessare videbantur, donec subito Virtius ex Pomerania cum tribus equitum millibus, initio Februarii a. 1659. irrumperet. Junxit se ei, Regis Sveciae frater, Adolphus Joannes, a quibus tamen nihil in rei summam efficiebatur, sed oppidis aliquot captis & rursus relictis, ac vastatis passim agris, cum ad defensionem provinciae Poloni confluerent, Virtius Julio mense, milite & equis multum deminutus, Pomeraniam repetiit: quo Regis frater, collatam sibi olim supremam Prussiae praefecturam deserens, secutus est (*). Fuerat provincia adversus Svecorum vim imparata, quod Regni exercitus flagitatis frustra stipendiis, obsequium detrectaverat, per foedus sibi consulturus. Quare in comitiis ad decimam septimam Martii indictis, non postrema militum habita ratio, ut merces illis debita praestaretur. Severius cum Socinianis actum, quibus pro concesso nuper triennio, biennium, quo migrarent, indultum (**). Eodem tempore, quo in comitiis consultatum, Caesaris, Regum

JOANNES CASIMIRVS. 1659. gum Galliae & Daniae, ac Electoris Brandenburgici legati, cum Polonis de litteris liberi commeatus pro Regis Sveciae oratoribus, tum de loco & tempore, quibus de pace agendum, Thorunii disputabant, & in comitiis nova lege, qui salutare hoc negotium peragerent, designabantur (†). Interea antequam transigeretur, bellum in Prussia durabat, quam Augusto supremus Regni Mareschalcus ac minor exercitus Dux, Lubomirius, cum quindecim millibus ingressus, Graudentum impetu cepit. Tum hostes Dirsaviam, disjectis munimentis, ultro deserere, ac Strasburgum Decembri pacto dedere. Supererant Elbinga, Mariaeburgum, Stuma, & ad Vistulam munimentum, cui Hauptum nomen. Ex his Hauptum a Gedanensibus, quibus Polonae copiae additae, vicesimo Decembris subactum, Rege in castra eodem die veniente, quo leges deditionis perscriptae erant. Mariaeburgum autem a Lubomirio, ob tempus ex hieme minus opportunum & grassantes morbos, frustra obsessum fuit (††).

(*) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* VI. §. 72. LENG. T. VII. 217.

(**) CONSTIT. a. 1659. p. 1. tit. *Deklaracya.*

(†) CONSTIT. a. 1659. p. 9. tit. *Commissya.*

(††) PVFEND. *de reb. Car. Gust.* VI. §. 72. 73. LENG. T. VII. 217. 228. 229. KOCHOV. *clim. II.* 413.

§. XXIII.

§. XXIII. Eodem anno bellum Moscicum recruduit, Czaro inani successionis spe & Cosacorum defectione irritato. Tres in Litvaniam & Ucrainam immissi exercitus, quorum unus ductu Chovanscii, Gansievium, militis Litvani praefectum minorem, numero longe imparem, ad Vilnam profligavit, ipsumque cepit: post quam cladem, Vilna, Grodna, Minscum & alia oppida, victori cesserunt. Non eadem hostibus in Ucraina fortuna, ubi Trubecius, Georgio Chmielnicio, Theodori filio, Cosacis trans Borysthenem imposito, & Martino Cieciura, legato ejus constituto, junctis eorum copiis in Vyhovium movit. Huic praeter Cosacos, Polonorum quatuor, & Tattarorum triginta millia erant, ut Trubecius suis viribus diffidens, ad confluentem Desnae ac Semi, haud procul Conotopo, recederet. Secutus eo Vyhovius, hostem die decima septima Julii, commisso praelio profligavit, captus Dux Trubecius, paulo post ex vulneribus obiit. Non usus successu hoc in majora commoda Vyhovius, sed statim copias in suam Ucrainam reduxit. Tattari tamen, fusis ad Putivulum qui evaserant, Moscoviam late populabantur (*).

JOANNES CASIMIRUS. 1659.

(*) KOCHOV. *clim. II.* 373-382.

§. XXIV.

JOANNES CASIMIRVS. 1660.

§. XXIV. Bello cum Svecis annus 1660. finem attulit. Confectis quae praecedere debebant, congreſſus de pace, in monaſterio Olivenſi, unum milliare Gedano, viceſima ſecunda Martii coepit. Praeter Polonos & Svecos, Caeſaris ac Electoris Brandenburgici legati aderant, quod his Poloniae foederatis, ſimul cum communi hoſte tranſigendum. Partes conciliatoris ſuſtinebat Regis Galliae orator, Lumbreſius, ſolo Caeſare ejus operam averſante, cujus legatis id officii a Polonis praeſtitum, quoties cum Svecis diſceptabant. Agebat tum Rex Joannes Caſimirus Gedani, ut ſua praeſentia negotium maturaret, quod tertia Maji media fere nocte, abſolutum: nulla ex Caroli Guſtavi, qui interea Gottenburgi defunctus, obitu mora aut impedimento. Per hanc compoſitionem, Rex omni jure in Sveciam junctasque ei provincias cedit, titulo & inſignibus Sveciae ſaltem ſervatis, ita tamen ut utroque abſtineat, quoties cum Rege Sveciae aut ei ſubjectis agendum, & uſus cum Joanne Caſimiro plane deſinat; Reſpublica Polona Svecis Livoniam relinquit, portione illa, quae a. 1655. ante bellum in ejus ditione fuit, excepta; ſimul Eſtonia, quam olim poſtulaverat, plane deſiſtit; Sveci Ducem Curlandiae captivum liberum dimittunt, & Elbingam,

Mariae-

Mariaeburgum ac Stumam, quae illis in Prussia adhuc supererant, reddunt; tum civitatibus hujus provinciae, quas belli tempore tenuerant, antiqua jura in sacris & civilibus integra, ac illibatam gratiam Regiam paciscuntur. Cum Caesare & Electore Brandenburgico, Poloniae foederatis, Sveci veterem amicitiam instaurant & insessa ab illis in Pomerania sua loca recipiunt, pactis, quae inter Regem Sveciae & Electorem belli tempore inita, abrogatis (*). Elbinga Electori peculiari scripto asserta fuit, ut eam a Polonis reciperet, civitatis juribus & Regis ac Reipublicae facultate redimendi salvis (**). At deducto Svecico praesidio, statim urbi Polonus miles impositus, quam cum sibi tradi Elector postularet, ad fidem pactorum provocans, objectum ipsi, quod prior minus ex pactis egisset, auxiliis neque adversus Svecos neque adversus Moscum submissis (***). Caeterum pax Olivensis in conventu Varsaviensi mense Junio, a Rege, Senatoribus & equestris ordinis legatis probata & in comitiis sequentis anni constitutionibus inserta fuit (†).

JOANNES CASIMIRUS. 1660.

(*) PUFEND. *de reb. Car. Gust.* VII. §. 4-14. LONDORP. VIII. 651-665. LENG. T. VII. 232-239. CONSTIT. a. 1661. p. 41.

(**) PUFEND. *de reb. Car. Gust.* VII. §. 13. LENG. T. VII. 235. CONSTIT. a. 1661. p. 57.

(***) LENG.

JOANNES CASIMIRUS.

(***) LENG. T. VII. 242.

(†) CONSTIT. a. 1661. p. 41. tit. *pacta olivensia.*

1660. §. XXV. Libera jam armis Svecicis Polonia, omnes vires in Moſcum & partem Coſacorum illi junctam vertere poterat, adverſus quos ſuperiore anno copiae ex Dania revocabantur. Obſidebat Chovanſcius nuper victor arcem Lachovicze, in cujus auxilium dum ſupremus Litvanae militiae praefectus Sapieha, & junctus ei Palatinus Ruſſiae, Czarniecius, cum novem millibus incedunt, Chovanſcium inſtructa acie ad Polonicam obvium habent. Fit pugna viceſima ſeptima Junii, ancipiti primum marte, donec hoſtes amiſſis, ut fama erat, quindecim millibus, in fugam aguntur. Praeter captivos & aliam praedam, quadraginta machinae & centum quadraginta ſigna militaria victoribus cedunt, & Lachovicze obſidione liberatur (*). Dein Mohilovia, quam hoſtes occupaverant, obſeſſa, & adventante Dolhorukio omiſſa, quod ei trans Boryſthenem obviam ire placeret. Duodeviceſima Octobris concurritur, & poſtquam toto die acerrime certatum, Dolhorukius in caſtra ſua ſe recipit, quem Sapieha & Czarniecius cingunt, & poſt menſem recedunt, cum Chovanſcio, qui interea novum exercitum contraxerat, certaturi.

turi. Hic post binos minores conflictus, quorum prior ipsi successerat, victoriam desperans, nocte, relictis in praedam castris, silentio exercitum Polociam subduxit, quo Poloni Litvanique secuti, hostem intra Dunam coërcebant (**). Haec in Litvania gesta. In Ucraina hoc modo bellum continuatum fuit. Validior in dies Chmielnicius, multis ex Cisborysthenianis ad eum transeuntibus, ut Vyhovius loco non credens, Czehryno, sede sua, Barum concederet, Czehrynumque aemulus occuparet. Accedebat Dux Moscicus Seremethus cum sexaginta millibus, una cum Cosacis in Polonos decertaturus: qui sub exercitus Regni Praefectis, Potocio & Lubomirio, viginti Tattarorum millibus & Cosacorum manu, quam Vyhovius adduxerat, aucti, decima septima Septembris hostes in castris ad Lubartoviam in Volhinia oppugnant, ac intra carraginem Cudnoviam recedentes comitantur, & si quando copia, armis lacessunt. Laborantibus Chmielnicius cum quadraginta Cosacorum millibus subvenit; cui, relicto ad carraginem Potocio, Lubomirius, quinque Cudnovia milliaribus, prope Slobodysczіam occurrit, & inopinantes in castris aggressus, eodem die debellasset, nisi nox intercessisset. Postera luce, deditionem professi recipiebantur,

JOANNES CASIMIRUS. 1660.

P bantur,

JOANNES CASIMIRUS. 1660. bantur, redeuntemque in castra ad Cudnoviam Lubomirium Chmielnicius secutus, Cieciuram cum suis, a Moscis ad Polonos avocat. Mox ipsi Mosci liberum abitum, armis & omni apparatu militari relictis, sibi a Polonis pacti, a Tattaris invaduntur, ut qui non occumberent captivi abducerentur. Tum exercitum laboribus & frigore fessum, in hiberna dimittere placuit (***).

(*) KOCHOV. *clim. II.* 437-441.

(**) KOCHOV. *clim. II.* 446-455.

(***) KOCHOV. *clim. II.* 455-490.

1661. §. XXVI. Forsan bellum Moscicum a. 1661. patratum fuisset, ni Rex alio consilia vertisset, & miles ob non numerata stipendia obsequium detrectasset. Joannes Casimirus orbus & gentis suae ultimus, dabat affectui in uxorem, ut Condei, Regii sanguinis in Gallia Principis, filium, Angvianum Ducem, sororis ejus filiae jungendum, sibi vivo successorem, tecto tamen nomine, designari vellet. Exploratis in consilio Czenstochoviensi, mense Januario Senatorum animis, in conventibus minoribus, qui comitia praecedere solent, negotium illud ambitiose commendatum fuit: quod in comitiis repetitum, ipso Rege apud Senatum, & in nobilitatis con-

conclavi Epiſcopo Varmienſi, Widzga, JOANNES
verba faciente. Nova haec res Ordinum CASIMI-
mentes turbavit, eligendi Reges liberta- RVS.
tem, caeterorum jurium caput ſemper ha- 1661.
bitam, peti credentium. Silentibus cae-
teris, Caſtellanus Leopolienſis, Fredro,
in Senatu Regem orabat, 'deſiſteret ince-
pto, quod prona ad inteſtinas turbas via
eſſet, ſi deſignato ſucceſſore, duo in uno Re-
gno Principes civium animos diſtraherent.
Apud Equites, Franciſci Povalii ſententia
obtinuit, leges electioni ſcriptas, Reipub-
licae conſtitutionem & futura diſſidia, ad-
verſus Regis deſtinationem allegantis.
Nihil tum decretum, agitata tamen res in
ſequentibus & non unis comitiis, volun-
tates a Joanne Caſimiro multum avertit
(*). In militum ſtipendia, nova tributa
conferri placuit, ac congreſſus pro Regni
exercitu Leopoli, pro Litvano Slonini
haberi, ubi revocata ad calculos debita,
per palatinatus ad modum praeſtando-
rum diſpertirentur (**). At impatiens
longioris morae uterque exercitus, ad
maturandam ſolutionem foedus conflavit,
Polono ſibi Joan. Sam. Sviderſcium, Lit-
vano Caſimirum Chvalibogium Zyrom-
ſcium, Mareſchalcorum nomine, praefi-
ciente (***). Rex quo foederatorum
conſilia bello interpellaret, expeditionem
in Moſcos edicebat, daturusque exem-

JOANNES CASIMIRUS. 1661. plum, ipſe in Litvaniam proficiſcebatur. Magis in ſua ſtipendia intentus erat Polonus exercitus, quam ut his flecteretur, quin etiam ex Ucraina in Regni interiora recedebat. Litvanus autem ſub ſuo Mareſchalco in hoſtem Polociam verſus movit, fuſisque ad Dolhinum ſex millibus, menſe Novembri Chovanſcium viginti circiter millia ducentem, ad Glembokium juſto praelio ſuperavit. Venit poſt victoriam in caſtra Rex, ut ulterius progrederetur, at cum exercitus ſequi abnueret, finis expeditioni imponi debuit. Caeterum hoc anno Grodna & Vilna per deditionem recuperatae, Mohilovia ab ipſis oppidanis, praeſidio partim fraude amoto, partim capto, hoſtibus erepta fuit (†).

(*) KOCHOV. *clim. II.* 497. 505-513. LENG. VII. 265. 276.

(**) CONSTIT. a. 1661. p. 2. tit. *Zápłata.* CONSTIT. LITV. p. 2. tit. *Kommiſſarie.*

(***) KOCHOV. *clim. II.* 513. 516.

(†) KOCHOV. *clim. II.* 517. ſ.

1662. §. XXVII. Haec ergo cura Ordines in comitiis a. 1662. potiſſimum exercuit, pecuniam in ſtipendia providere, qui inſolitum in capita tributum, nomine ſubſidii generalis, tanquam ſumtibus ſuffecturum, decreverunt (*). Incitabant eorum

rum ſtudium foederatorum exercituum legationes, praeter ſtipendia & alia, tum quae ad militiam, tum quae ad Rempublicam, commendantes. Erat in his electio ſucceſſoris Rege incolumi, Polonae libertati ipſique Principi adeo pernicioſa habita, ut conſilii auctores ad poenam depoſcerentur. Nec minus aliena a ſucceſſore Nobilitas, novum eligendi modum, quaſi primam praeſentium malorum cauſam, vetari urgebat. Annuit Rex, & firmata nova lege, quae olim pro electione ſancita, ſimul abolitum, quicquid ſucceſſoris cauſa actum ſcriptumque fuiſſet (**). In iisdem comitiis, Hieronymus Radziejovius reſtitutus, quem proſcriptum ſupra memoravimus, quique ex hoc tempore magna apud Regem gratia floruit (***). Menſe Julio & ſequentibus, Leopoli, Rege & Regina in civitate praeſentibus, tributorum & ſumtuum rationes excuſſae, patuitque inſpectis tabulis, praeter Litvanum, foederato militi Polono ultra viginti ſex *milliones* deberi. Ingens haec & reditus multum excedens ſumma, poſt longas & moleſtas cum exercitus legatis, quorum quingenti circiter aderant, diſceptationes, irritum reddidit congreſſum, ita quidem, ut Volborium, ubi foederatorum primaria ſtatio, transferretur. Eo Epiſcopus Cujavienſis, Caſimirus Czartory-

JOANNES CASIMIRUS. 1662.

JOANNES CASIMIRVS. toryſcius, cum aliis profectus, videbaturque plane transactum, poſtquam viceſima quarta Decembris, pro viginti ſex millio-
1662. nibus, nonagies centena florenorum millia, ſeu milliones novem conveniſſent (†). Sed non probavit compoſitionem Rex, quaſi minori impendio miles ad officium reduci potuiſſet, nec defuerunt, qui vi foederatos coërcendos cenſerent, niſi moniti nexum ſponte diſſolverent, ac tum ſti-
1663. pendia expectarent. Praeferebantur tamen leniora, ac inſtituto a. 1663. ad Zavichoſtum, quo copiae confluxerant, novo colloquio, negotium amice conficiebatur, cum milites ex priori ſumma, decies centena florenorum millia remitterent (††). Cum Litvanis de ſuis ſtipendiis a. 1662. Vilnae actum, ſed congreſſus caede Mareſchalci Zyromſcii & minoris exercitus Ducis Ganſievii turbabatur. Orta enim inter foederatos diſſenſione, artibus Zyromſcii & Ganſievii id imputatum, ut diſtractis animis nexus rumperetur: quare ambo captivi Vilnam abducti, prior in via trucidabatur, alter militari judicio habito, glandibus trajectus occumbebat. Sequenti anno, poſt Polonos, Litvani ſoluto foedere ad Ducum ſuorum obſequium redierunt (†††). Quo autem in militum ſtipendia praeſens pecunia ſuppeteret, placuit novam ſignari, cujus pretium

tium intenderetur. Impigri in hoc, qui officinas conduxerant, Boratinus & Tymphius, ſibi haeredibusque opes cumulantes, dum publicam egeſtatem aere, aut argento longe ſupra conſtitutum valorem adulterato, levare viderentur. Boratinus qui jam antea eandem Regno navaverat operam, a. 1658. indigenatu exornatus, Tymphius poenam, quam prome-ruiſſe creditus, fuga evaſit. Supereſt tamen in ſuis *Tymphonibus*, digna parente ſobole, cujus fidem & probitatem loquuntur (*).

JOANNES CASIMIRVS. 1663.

(*) CONSTIT. a. 1662. p. 17. tit. *Declaracye.* Inter LITVAN. p. 25. tit. *Declaracye.*

(**) CONSTIT. p. 3. tit. *Reaſſumpcya.* KOCHOV. *clim. III.* 12-29.

(***) CONSTIT. p. 31. tit. *Skrypt.*

(†) KOCHOV. *clim. III.* 31-27. 42-48.

(††) KOCHOV. *clim. III.* 54-72.

(†††) KOCHOV. *clim. III.* 38-41. 86.

(*) KOCHOV. *clim. III.* 73. LENG. T. VII. 205-299. 323.

§. XXVIII. Reverſum ad officia Polonum exercitum Rex menſe Auguſto a. 1663. in Ucrainam duxit, ut pulſis Moſcis, Coſacorum partem, quae in illorum clientela, ſub ditionem redigeret. Qui Polonis

JOANNES CASIMIRUS. parebant, eos pro Georgio Chmielnicio, monasticam vitam anno illo amplexo, Paulus Tetera, supremus praefectus regebat, a Rege in hac dignitate confirmatus,

1663. ac in citeriori Ucraina relictus, dum Borysthenes decimo tertio Novembris diebusque sequentibus, scaphis transmittitur. Hostis pugnae copiam non faciens, oppida & castella praesidiis firmaverat, quorum aliquot capiebantur, exercitu per hiemem ad Moscoviae fines impune progrediente: nisi quod Cosaci numero duodeviginti millium, ad Staryninum se objicere ausi, qui primo statim congressu, amissis quatuor millibus, fundebantur. Paullo ante Tattari, qui Regi in auxilium juncti, ad sua discesserant, quorum viginti

1664. millium exercitus, post anni 1664. initium redibat, majore tamen in Litvanicis copiis fiducia, quae non longe abesse ferebantur. Tum Januario Dzievicza, oppidum Cosacicum, cum arce vi expugnatur, & Sosnica per deditionem recepta, Joannes Casimirus die decima septima dicti mensis Moscoviam intrat. Eo & miles Litvanus festinabat, praecedente cum parte copiarum minore Duce Michaele Pacio, qui occurrentes sibi ad Branscum in Severia sub Boratynscio Moscos profligat. Neque Czyrcassio alteri hostium praefecto, qui in Regem moverat, succes-

sit,

ſit, cum pulſa, quam praemiſerat, manu, JOANNES
Putivulum ſe recipere ſatius duceret. Po- CASIMI-
lonorum autem in Gluchoviam, poſt duos RUS.
impetus, vanus erat conatus, in quorum 1664.
caſtra prope Sviescum Moſcicus legatus venit, cui ſpem pacis iniicienti, trium menſium induciae concedebantur (*).

(*) KOCHOV. III. 83 - 115.

§. XXIX. Rex cum exercitu Litvano in magnum Ducatum regreſſus, tempore aliquo Mohiloviae, Minſci & Vilnae exacto, decima quinta Julii Varſaviam venit: cum interea in oppido Kraſna de pace fruſtra ageretur, Moſcicis legatis colloquium abrumpentibus, qui violatas inducias cauſati, quod Litvani laceſſiti copias eorum ad Boryſthenem in fugam actas caſtris exuerant. Fuit tamen negotium in aliud tempus dilatum. In Ucraina, pars Coſacorum rurſus rebellis, novos motus excitaverat, quos Vyhovius, Palatinus Kioviae, Coſacorum antea praefectus, foviſſe dicebatur: qui ex decreto militaris judicii quaſi perduellis Corſuni glandibus trajectus, licet crimen diluiſſet, ac ſenatoriam dignitatem militari judicio exemtam allegaſſet. Vertit in ſeditioſos redux ex Moſcovia Regni exercitus arma, tantumque de ejus adventu fama valuit, ut Czehrino, ubi Teteram praefe-

JOANNES CASIMIRUS. 1664.

ctum obsidebant, relictis tredecim tormentis minoribus, praecipites discederent. Erepta illis aliquot oppida, caesi minoribus conflictibus, profligata quatuor Moscorum auxiliarium millia, & miles, manente seditione, Octobri mense in hiberna dimissus (*).

(*) KOCHOV. III. 116-146.

§. XXX. Minus erat Ucrainam turbari, intestini motus ex alia causa orti, mediam Poloniam exagitabant. Georgius Lubomirius, supremus Regni Mareschalcus & minor exercitus Dux, titulo Principis imperii Germanici insignis, aulae odium in se concitaverat, quod non tantum electioni successoris Rege vivente restitisset, sed & sua auctoritate, aliis eandem mentem indidisset, alios in ea firmasset. Inde adversarum partium caput haberi, quo sublato, totum quasi corpus ruiturum credebatur. Citatur ad comitia a. 1664. absensque accusatur, quasi majestatis & legum contemtor, tracto in societatem facinoris milite foederato, per discordias in domesticum bellum erupturas, plus quam civilia molitus fuisset. Undetricesima Decembris, tanquam publicus hostis, capite, fama & bonis damnatur: quo comperto, Vratislaviam concedit, opportunum tempus exspectaturus, quo Rege lenito,

lenito, in integrum reſtitueretur (*). Sed exigua affulgebat ſpes, muniis Lubomirii poſt a. 1665. initium in alios diſtributis, ut Mareſchalcatus, Joanni Sobieſcio, Regni Vexillifero, exercitus minor praefectura Palatino Kioviae Czarniecio, paullo poſt mortuo, obveniret. In comitiis extraordinariis, duodecima Martii coeptis, magna nobilitatis pars, in publicum conſulere noluit, niſi Regem pro Lubomirio deprecata fuiſſet, compellavitque Joannem Caſimirum palatinatus Cracovienſis, qui deliberaturum ſe promittens, damnato pertinaciam, faſtum & inteſtinas, quas moliretur, turbas exprobrabat. Diſplicebat haec mora illis, qui pro eo nitebantur, ut indignabundi per Vladislaum Los, ex Dobrinenſi tractu, comitia rumperent. Auditae tum acerrimae in Lubomirii fautores voces, quaſi privato ſtudio Rempublicam perditum irent, qui contra queſti, culpa Senatorum cum nobilitatem tum Rempublicam opprimi, & integerrimum virum reum peractum eſſe. Additae minae, ac infeſtis utrinque animis diſceſſum (**).

JOANNES CASIMIRVS. 1665.

(*) KOCHOV. III. 147. 153-158. LENGN. T. VII. 301. 306. *Proceſſ. judiciar. in cauſa Lubomir. Publicae innocentiae manifeſtum.*

(**) KOCHOV. III. 164. 171. LENG. VII. 309. 310.

§. XXXI.

JOANNES CASIMIRVS. 1665.

§. XXXI. Comitiis irritis, Lubomirius cum octingentorum manu in Poloniam redit, adverſus quem Rex copias ex Ucraina & Litvania evocat. Mittunt exercitus ſui partem Litvani, ſub campeſtri Notario Hilario Polubinio, & Polonum, non tamen omnem, ex Ucraina Stanislaus Jablonovius, Ruſſiae Palatinus, adducit: quia pars, conflato ob debita bienni ſtipendia foedere, ſeceſſerat. Confluunt milites ad Ravam, ubi Rex, duodecima Julii Varſavia profectus, eos exſpectat, unde contractis duodecim millibus, in palatinatum Siradienſem movet, & ad Vartam metatur. Hinc Polubinium cum Litvanis in Lubomirium mittit, qui junctis foederatis, exercitum quinque millium effecerat. Pugnatur quarta Septembris ad Czenſtochovam, abſente Lubomirio, adverſus Adamum Oſtrzycium foederatorum Mareſchalcum infeliciter, ac caeſis in acie mille trecentis, ipſe Polubinius cum praecipuis praefectis, ac mille fere gregarii capiuntur: quos benigne & liberaliter habitos Lubomirius ſine pretio dimiſit (*). Hic poſt victoriam copias ſuas in majorem Poloniam duxit, quem cum Rex inſequeretur, nobilitas arma corripuit, poſſeſſiones ſuas a belli injuriis tuitura, mox pronior in Lubomirium, ejus partibus ſe junxit. Non tamen deerant dome-

domesticae tranquillitatis conciliatores, JOANNES
efficiebantque sua potissimum opera, An- CASIMI-
dreas Trzebicius Cracoviensis, ac Tho- RVS.
mas Leszczynius Chelmensis, Episcopi, 1665.
ut mense Novembri, instructa in campo Palczynensi utrinque acie, arma conditionibus ponerentur, quibus in comitiis quam primum extra ordinem habendis, Lubomirio restitutio, foederatis venia actorum & stipendia, & damna a militibus passis satisfactio promissa: interea Lubomirius finem comitiorum extra Regnum exspectaret, & militibus, manente foedere, hiberna in majori Polonia concederentur. Tum ille Regi supplex factus, Vratislaviam, Rex Thorunium, inde mox Varsaviam abiit (**).

(*) KOCHOV. III. 173. 192.

(**) KOCHOV. III. 193-207.

§. XXXII. Comitia, quae Rex ad 1666.
decimam septimam Martii a. 1666. Varsaviam indicebat, tanquam finem domesticis turbis allatura, avidissime exspectabantur. In his nuntiorum Mareschalcus, ubi primum Regem salutat, pacem intestinam, nulla Lubomirii mentione, generatim commendat: quod male illos habuit, qui ejus restitutionem consiliorum caput credebant. At Mareschalcus aversum Joannis Casimiri a Lubomirio animum

JOANNES CASIMIRVS. 1666.

mum non ignorans, ipſum iterum ſilentio transmiſit. Accedebat, quod Rex, mortuo Czarniecio, minorem exercitus Poloni praefecturam Joanni Sobieſcio conferret, quae Lubomirio, ſi reſtituendus, reddi debuiſſet. Nulla ergo ſpe, poſſe aliquid pro eo effici, comitiorum auctoritas quarta Maji interceſſione ſiſtebatur (*). Tum bellum quod ſepultum creditum, majori vi reſurrexit. Erat Regi exercitus viginti ſex circiter millium, quem ex palatinatu Ravenſi, ubi contraxerat, per Lencicienſem & Caliſſienſem in Cujaviam ducebat, ubi Lubomirius, Vratislavia in Poloniam reverſus, ad oppidum Pakoſc metabatur. Copiae ejus ex foederatis & novis delectibus duodecim millia efficiebant, quibus ſe ex palatinatibus Cracovienſi & Sendomirienſi, ac majori Polonia nobilium ſex millia junxerant. Decima tertia Julii, ad Montvy ubi Noteſſii fluminis trajectus, haud longe Inovroclavia praelium committitur, quo Lubomirius, exiguo ſuorum damno, inſignem victoriam reportat, quatuor fere millibus in exercitu Regio caeſis. Poſt hanc cladem Rex in palatinatum Ravenſem ad flumen Pilczam recedit, Lubomirius Breſtam in Cujavia tendit. Secuta pax, triceſimo primo Julii, in vico Lengonico prope Pilczam, ubi caſtra Regia, convenitque,

ut

ut Lubomirius, tum nobiles & milites JOANNES foederati Regem, gratiae ejus ſecuri, de- CASIMI- precarentur; Lubomirius dimiſſis copiis, RVS. tranquillus, donec motus plane ſedati, in 1666. loco a Rege deſignando ageret; milites, ſoluto foedere, die decima quinta Septembris trimeſtre ſtipendium reciperent; & venia admiſſorum in proximis comitiis lege publica firmaretur. Praeterea Rex ſingulari diplomate ſpondebat, ſe dum regnaret, nemini ad dignitatem Regiam ſtudium & operam ſuam navaturum, niſi liberis Ordinum ſuffragiis modo legitimo electus fuerit. Motis ad Jaroſzynum caſtris, Lubomirius Regem ſalutavit, quem ſecuti qui in ejus partibus fuerant: & ille quidem, quod minus tutum ſe ab inſidiis in Polonia credebat, mox Vratislaviam rediit, ubi ſequentis anni initio, morte repentina, vivere deſiit (**).

(*) LENG. T. VII. 313. 314.

(**) KOCHOV. III. 225-251.

§. XXXIII. Supererat, ut domeſtica pax in comitiis probaretur, quae ad nonam Novembris indicta, poſt contentiones de Regis ſucceſſore, Lubomirii reſtitutione, ac aliis, nulla re conſtituta, diſſolvebantur: licet novum ex Turcia malum, promtius remedium flagitaret. Coſacorum enim magna pars, Petro Doroſzio

duce,

JOANNES CASIMIRVS. 1666. duce, ſub Caeſaris Turcici tutelam conceſſerat, qui novis ſuis clientibus Tattaros ſubmiſit, ut eos a Polonis defenderent, dum ipſe arma expediret. Agebant in Ucraina ſex circiter millia, quibus Sebaſt. Machovius, legati titulo, quem vulgo Regimentarium vocant, praeerat, cum quadraginta Tattarorum ac viginti Coſacorum millia bellum inferrent. In hos, numero eorum ne quidem explorato, imprudenter movens Machovius, fine anni 1666. ad Batohum profligatus captusque temeritatis ſuae poenas dedit. Dum bellum a Turcis imminet, induciae cum magno Moſcorum Duce ab a. 1664. repetitae, inſtituto in vico Andruſovia, inter Smolenſcum & Mſcislaviam, prope fluvium Jlarodnam, congreſſu, triceſima Januarii a. 1667. ultra annos tredecim, ad 1667. menſem Junium a. 1680. prorogantur: quibus magno Duci, Smolenſcum, tractus Severienſis ac Czernichovienſis & Ucraina trans Boryſthenem, cum Coſacis illam incolentibus, in perpetuum, Kiovia per biennium relinquitur; palatinatus Polocenſis & Vitepſcenſis, ac Livonia Polonica ab eo reſtituuntur; & mutua auxilia adverſus Tattaros Turcosque, ſi arma intulerint, promittuntur: addito, ut induciarum tempore, per colloquia aliquoties habenda, pax aeterna tentetur (*).

(*) KO-

(*) KOCHOV. III. 252-258. LENG. T. VII. 316. LOND. *Act. publ.* VIII. 489. CHVALK. *jus publ. regn. Pol.* p. 354. ſ.

JOANNES CASIMIRVS.

1667.

§. XXXIV. Comitia ſeptima Martii a. 1667. inchoata, prioribus melius ſucceſſerunt, ubi Lengonicenſis transactio probata, & libera Regis electio, poſt tot alias, nova lege firmata fuit: quod aulae ſtudium in deſignando ſucceſſore, licet tectum, non ceſſaverat, ferebaturque Morſtinius, Regni Referendarius, ideo in Galliam miſſus, ut Condeum Principem in Paloniam adduceret, quo praeſens, tracto in partes ſuas exercitu, vel ſibi vel filio regnum pararet. Id publice Regi ab equeſtri ordine obiiciebatur, ac Senatores qui conſilium probaſſent, nominabantur. Tum indignatio & verba Principi moleſta, Senatoribus autem temerata fides, ac diverſum a republica ſtudium, exprobrata. Placuit hujuscemodi conatibus in poſterum memorata lege occurrere, cui vim addidit mors Reginae, decima Maji, ante comitiorum finem, fato functae: quae electionis vivente Rege auctor, ſui propoſiti adeo pervicax, ut & poſt ultimam legem, de ſucceſſore agitaret, curamque hanc demum cum ſpiritu poneret. Foemina virilis animi publica negotia tractare ſveverat, ac cum Rege & uno alteroque familiari expendere, quae

JOANNES CASIMIRUS. 1667.

ad Ordines referenda aut cum exteris constituenda essent: neque comitiis abstinens, per suos clientes consilia moderabatur, aegre ferentibus, qui id minus e Reipublicae dignitate credebant, multisque incusantibus, obfirmatum ejus in diversis animum, commodis patriae multum offecisse. Uxor duorum Regum fratrumque, sobolem nullam, & haud magnum sui desiderium reliquit, Rex tamen curarum laborumque sociam luxit, & vicesima secunda Septembris, Cracoviae exequiis coluit (*).

(*) KOCHOV. III. 265-274. LENG. T.VII. 320-322. ZALUSC. *Epist. hist. fam.* T. I. part. I. p. 1. 4.

§. XXXV. Ad Turcicum Imperatorem, ut bellum averteret, Hieronymus Radzejovius legatus missus: in Tattaros autem, Podoliam, Volhiniam ac Russiam passim populantes, Sobiescius, defuncto hoc anno Stanislao Potocio, jam exercitus Poloni supremus Dux, ivit. Locatis in tractu Haliciensi ad oppidum Podhaiecios, castris, aderant octoginta Tattarorum millia, ad quos Doroszius cum viginti quatuor Cosacorum millibus accesserat. Non detrectavit praelium Sobiescius, numero quamvis multo inferior, decem circiter millia sub signis habens. Pugnatum

acri-

acriter, hoſtibusque cedentibus, Poloni ſub veſperam in caſtra ſua receſſerunt. Ibi per duas hebdomades obſeſſi, modo per eruptiones, modo aſſultantes rejiciendo certarunt, cum interea pars Coſacorum a Doroſzio aliena, Cherſoneſum Tauricam late vaſtaret. Domeſtica hac clade, & quod adverſus Polonos minus ſuccederet, moti Tattari, decima ſexta Octobris, poſt quatuor horarum colloquium pacem compoſuerunt, qua ſibi ſolitum donativum, & Doroſzio cum ipſius aſſeclis Regiam gratiam pacti, ſuam amicitiam & Coſacorum obſequium pollicebantur. Nihilominus cum Coſacis undeviceſima Octobris ſeorſum transactum eſt, ac illis patratorum venia, & ſublatis querimoniis, jura ſua integra promiſſa. Tum Tattari Polonia exceſſerunt, non tamen ſine incolarum damno, trecentis vicis, dum abeunt, in Pocutia exuſtis (*). Miſſus ad Turcos Radzejovius, in ſua legatione mortuus eſt, cum antea pacem iis conditionibus obtinuiſſet, ſi Rex bellum Moſcis inferret, & in Coſacos, qui in clientelam Ottomannidarum conceſſerant, nullam ſibi poteſtatem vindicaret (**).

JOANNES CASIMIRUS. 1667.

(*) KOCHOV. III. 283-296. ZALUSC. *Epiſt.* T. I. part. 1. p. 8-16.

(**) LENG. VII. 329. 330. LONDORP. *Act. publ.* IX. 496.

JOANNES CASIMIRUS. 1668.

§. XXXVI. Sed leges quibus Turcorum Caesar pacem volebat, in medio relinquebantur, proximis comitiis a. 1668. per discordiam, ex alia causa abruptis, & in alteris Joanne Casimiro regno se abdicante. Ceperat ipsum regiminis taedium, cujus causae ferebantur valetudo, amor otii, conscientia, asperae in comitiis contradictiones, quorundam contumacia, & quod pro publicis laboribus ac curis nulla relata gratia, imo ne habita quidem fuerat. Sed effecerat Rex Galliae, ut regnum fastidiret Joannes Casimirus, quo Condeo cederet, ac ex bonis in Gallia ecclesiasticis quotannis centum & quinquaginta librarum millia promissa, si abdicationem mense Julio aut Augusto perficeret. Nominabatur quidem Princeps Palatinus Neoburgicus, quasi unus ille successor destinaretur, ea veri specie, ut crederent, quorum maxime intererat, sed latebat sub alieno vocabulo Condeus, suo tempore prodendus (*). Referebat de suo consilio Rex mense Junio ad Senatores Varsaviam evocatos, qui cum per preces, obtestationes & lacrymas animum ejus flectere frustra tentassent, ad vicesimam septimam Augusti eandem ob causam, comitia indicta fuerunt. Paulo ante illa, vicesima quarta memorati mensis, Elector Brandenburgicus, Rege conscio,

prae-

praefecturam Drahimensem occupavit, triennio jam dudum transacto, post quod, pacto Brombergensi Electori concessum, eam sibi vindicare, ni centum & viginti nummorum imperialium millia praestarentur. Quae res in comitiis silentio transmissa, mentibus in una abdicatione defixis (**). In hac perstabat Rex, ad preces & lacrymas Ordinum immotus, ac aeternae salutis curam, nec non amorem patriae, cui electo alio Principe consultum vellet, allegans. Constitutis ei in annuos reditus, dum viveret, centum & quinquaginta florenorum millibus, decima sexta Septembris abdicatio coram Ordinibus peracta, cives obsequio exsoluti, ac Regi quicquid per pacta Regno debebat, remissum. Ipse scriptam orationem, qua valere jubebat Ordines, orsus, eam ob large manantes lacrymas Procancellario tradidit, qui inter singultus lectionem absolvit. Responsum ab Ordinibus non sine fletu, & cum Senatores flexo poplite Regis manum osculati, nomine ejus supremum vale a Procancellario dictum, & nobilitas ad dexterae osculum admissa est (†).

JOANNES CASIMIRUS. 1668.

(*) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* lib. X. §. 69. 97. LENGN. T. VII. 332.

(**) PVFEND. l. c. §. 64.

(†) KOCHOV. III. 319. s. ZALVSC. *Epist.* T. I. part. I. p. 31. 51. LENG. T. VII. 332. 334. *Uchwała Seymu* a. 1668. PVFEND. l. c. §. 73.

JOANNES CASIMIRUS. 1668.

§. XXXVII. Sic Joannes Caſimirus ſuperſtes, regnum viceſimo, ex quo praefuit, & aetatis ſexageſimo anno finiit, orbus domusque Jagellonicae per ſtirpem foemineam in Polonia ultimus. Sequenti anno, poſt comitia electionis in Galliam abiit, ubi aſſignatis a Rege ex bonis eccleſiaſticis reditibus, in Abbatia S. Germani prope Pariſios egit, ac die decima ſexta Decembris a. 1672. Niverniae mortuus. Corpus in Poloniam reportatum, ut ſepulcro, quod Cracoviae ſibi excitari curaverat, inferretur, cor in aede Abbatiae S. Germani conditum, ubi monumentum cum inſcriptione magnifica viſitur. Fuit Joannes Caſimirus in vita ſua varius. Regis filius reipublicae deſtinatus, poſtquam ſecus ceſſerant, quae agitaverat, inſtituta patrum ſocietatis Jeſu amplectebatur. Tum Papa Purpuratum Eccleſiae creavit, ſed ad civilem conditionem reverſus, Regni candidatus, Rex, privatus, & tandem S. Germani Abbas. Regnum quod in continuis turbis geſſit, Ordinibus imminutum reddidit, reprehenſus ab iis, qui uxori indulgentiorem & adverſus exterorum conſilia minus cautum habuerunt. At religionis ſuae ſtudio adeo eminuit, ut a ſummo Pontifice *Orthodoxi* titulo inſigniretur.

CAP. VI. DE MICHAELE.

§. I.

Abdicationem Joannis Caſimiri, exce- MICHAEL. 1668.
perunt quinta Novembris a. 1668. comitia convocationis; ex quibus legatus ad Brandenburgicum Electorem miſſus, poſtulatum, ut reſtituta praefectura Drahimenſi, de ſuo in eam jure cum futuro Rege ageret, ſimul vindicato ſibi Viſtulae trajectu, tum titulo Domini terrarum Lauenburgii & Bitaviae abſtineret. Sed Elector has controverſias ad oratores ſuos, qui comitiis electionis adfuturi eſſent, rejecit (*). Coeperunt illa ſecunda Maji a. 1669. fuitque Ordinibus curae, non tantum Regem creare, ſed etiam corrigere quae ex proximo regno diſplicebant, nominatis qui contra ea leges novas ſcriberent, Reipublicae auctoritate firmandas. Inde praeter alia proviſum fuit, ne Regi abdicare ſe regimine, aut de eligendo alio, dum viveret, mentionem facere liceret (**). Decretum vero Regium, quo Georgius Lubomirius a. 1664. majeſtatis damnatus, publico ſcito abrogabatur (†).

(*) ZALVS. *Epiſt.* T. I. part. I. p. 73. 74.

MICHAEL. 1669. (**) ORDINAT. ELECT. 1669. tit. *Exorbitancye.*

(†) ORDINAT. ELECT. p. 10. tit. *Deklarac.*

§. II. Regnum petebant duo candidati, Philippus Wilhelmus, Princeps ex Palatinis Neoburgicus, & Carolus Dux Lotharingiae: pro Condeo cujus in Senatu validae partes, quemque fovebat Primas, Nicolaus Prazmovius, clam Regis Galliae legatus, nitebatur, licet in Neoburgicum ſtudium prae ſe ferret. Sed Condeum averſata nobilitas, acrius urgendo apud Senatum obtinuit, ne in numero candidatorum haberetur, Primate multum obnitente: quod legatus Gallicus adeo moleſte tulit, ut ab Ordinibus audiri noluerit, nullo ſe jam favore Reipublicae indigere dictitans. Neoburgicum Caeſaris, Regis Sveciae, & Brandenburgici Electoris legati, tum litterae a Rege magnae Britanniae allatae, commendabant, aderatque ab ipſo candidato orator, qui laudatis animi & corporis dotibus, dinumeratisque, quas teneret, terris, quinque militum millia ejus ſumtibus adverſus Moſcum; unius anni ſtipendium Polono & Litvano exercitui; munimenta nova & veterum reſtaurationem; ſcholam equeſtrem, & viaticum ducentis nobilibus peregrinaturis promittebat. Dux Lotharingiae, a ſolis ſuis legatis commendatus, niſi

nisi quod Caesareus tecte suffragia conqui- MICHAEL.
reret, singulis annis quingenta floreno- 1669.
rum millia in Regnum importanda; exercitibus residua stipendia; pontem Vistulae prope Varsaviam ex saxo; quatuor millia auxiliarium, & Mussiponti Gymnasium pro centum nobilibus obtulit. Distractis inter hos duos candidatos animis, Senatus major pars Neoburgico, nobilitatis Lotharingio favebat, ea pervicacia, ut quique in suo persisterent. Absumtis jam sex hebdomadibus, longioris morae impatientes nobiles, ac tempus Senatorum arte trahi suspicantes, decima septima Junii, tumultu excitato ad vallum ruere; in Senatores, qui intra illud consederant, sclopos breviores displodere; insessis portis abeundi facultatem negare; ac praecipuam reipublicae partem armis cinctam tenere: donec magno labore animi sedarentur. Neque incruentus ille motus fuit, duobus ex equestri ordine intra vallum glandibus interemtis, uno sauciato, pluribus extra illud male habitis. Aderat undevicesima Junii electioni finem impositura, qua, Primate multisque Senatoribus in urbe absentibus, hora prima post meridiem, Stephanus Vierzbovius, Posnaniensis Episcopus, sollemnem precationem praeit, ac post vota nobiles, ad suum quemvis palatinatum, ut suffragia confe-

MICHAEL. rant, dimittit. Nullus erat palatinatus,
1669. qui non ob diverſa in Neoburgicum & Lotharingium ſtudia diſcors, ut prudentioribus non aliud ad conſenſum remedium videretur, quam ſi tertius interveniret. Jam ante electionis comitia Andreas Olſzovius, Epiſcopus Culmenſis & Regni Procancellarius, librum publicaverat, in quo, expenſis, qui tum ferebantur, candidatis, piaſtum omnibus potiorem habebat, Principem Michaelem Thomam Wisnioviecium, ex indigenis nominatim laudans. Cum ergo in Caliſſienſi palatinatu, de Neoburgico & Lotharingio diſceptaretur, primus Stanislaus Kricius, Succamerarius, piaſtum Wisnioviecium ſuggeſſit. Annuit totus palatinatus, & hoc nomine ad alios tranſeunte, acceſſit Posnanienſis, mox alii majoris & minoris Poloniae, ut brevi ſeptem palatinatus conſpirarent, quorum fauſtae in Wiesnioviecium acclamationes, & caeteros induxerunt. Litvanos in re nova haeſitantes, Epiſcopi Plocenſis & Culmenſis, novi Regis legatos ſe venire ſimulantes, ad conſenſum permoverunt. Equeſtris tamen ordinis Mareſchalcus, Felix Potocius, electioni Piaſti contradicens, ex campo in urbem abierat, quem Sobieſcius, ſupremus Regni Mareſchalcus & proceres alii ſecuti. Nihilominus ſuſcipiente Potocii partes, Stanis-

Stanislao Lubomirio, Praefecto Scepu- MICHAEL.
ſienſi, ſinguli palatinatus ſua ſuffragia, ad 1669.
Cujavienſem Epiſcopum, qui interea venerat, deferunt, & cum Braclavienſis palatinatus ſuum promere vellet, adeſt Primas cum iis, qui diſceſſerant, & Michaelem, veſpera hora nona Regem renunciat: Zamoiſciis, quibus cum ejus matre de haereditate lis, a contradictione, qua interceſſerant, deſiſtentibus (*).

(*) ZALVS. *Epiſt.* T. I. part. I. p. 117-127. 142-145. ZAWADZ. *Hiſt. arc.* p. 1-37. PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* X. §. 87. 88. LENG. T. VIII. 10-17.

§. III. Erat Michael Thomas Wisnioviecius, ex antiquis Litvaniae Ducibus, per Coributhum oriundus, Jeremiae, Ruſſiae Palatini, a. 1651. in caſtris ad Povolociam defuncti, filius. Amplae olim patri in Ucraina trans Boryſthenem poſſeſſiones, quibus a Coſacis occupatis, res filio anguſtior, cui liberalitas Principis Caroli Ferdinandi, Plocenſis Epiſcopi, & Reginae Ludovicae ſubvenerat. In litteris verſatus, linguas exteras didicit, ut germanice & gallice loqueretur. Nullo munere inſignis, in otio vixit, venitque ad electionis comitia, ut inter nobiles Sendomirienſis palatinatus, jure ſuffragii uteretur. Quare miraculi inſtar viſum, privatum civem,

MICHAEL. vem, ſine opibus, ſine clientibus, non partibus, non exterorum commendatione fultum, ad Regium faſtigium evectum eſſe. Ipſe attonitus, lacrymis honorem deprecatus, cui imparem ſe fatebatur. Sed gerendus erat mos nobilitati, cujus voluntati potiſſimum dignitatem debebat. Poſt repetitam a ſupremo Regni Mareſchalco renunciationem, cum Primate in ejus rheda in urbem vectus, ac pacta conventa perſcripta, quae leges continebant, ad quas novus Princeps regnum moderaretur, quaeque ſeptima Julii ab ipſo jurejurando firmabantur (*).

1669.

(*) PVFEND. l. c. §. 88. ZALVS. l. c. p. 127. ſ. ZAWADZ. *Hiſt. arc.* p. 38. ſ. ORDIN. ELECT. p. 14. ſ. LENG. VIII. 16. 17.

§. IV. Undetriceſimo Septembris, Regi Cracoviae inſignia regni tradita, exceperuntque primo Octobris comitia, quae ſtatim ab iis turbata, qui bona Regia, in relictis Czaro Moſcorum per inducias a. 1667. terris, tenuerant, & vacua alibi, ut damnum compenſaretur, poſtulabant. Aegre enim ferebant, cum prima vacatura ſibi fuiſſent promiſſa, Croſnicenſem praefecturam, Sendomirienſi Palatino, Joanni Tarlo, collatam, ut tandem Olizarius ſubjudex Kiovienſis, cum interceſſione abiret: id quod pro triſti futuri regiminis

nis

nis omine habitum, prima ſub novo Prin- MICHAEL.
cipe comitia irrita reddi, ſuſtinuitque Pri- 1669.
mas, Regi coram dicere, manifeſta pereuntis Reipublicae ſigna adeſſe. Poſtridie quam comitia haec inchoata, Rex transmiſſum ſibi aurei velleris inſigne recepit, quod multis diſplicuit, licet Sigismundus III. & filii ejus, exemplo praeiiſſent (*). Nec minus offendit matrimonium, cum Caeſaris Leopoldi ſorore, Eleonora, feſtinatum, miſſo Novembri Viennam Culmenſi Epiſcopo. Venit deſponſa Februa-
rio a. 1670. in Poloniam, ac celebratis 1670.
Czenſtochovae nuptiis, Varſaviam decima Martii ingreſſa eſt (**).

(*) ZALVS. T. I. part. I. p. 184-190. ZAWADZ. *Hiſt. arc.* p. 61. ſ.

(**) ZALVSC. l. c. p. 164. 192.

§. V. Non melius proximis, habita menſe Martio a. 1670. comitia, ſucceſſerunt, quae Zabokrycius, Braclavienſis pincerna, ob negatum junctis jam conſiliis ad conclave nunciorum regreſſum, abrupit (*). Eodem tempore per legatos pacta Andruſzovienſia firmata fuerunt, dilatis, quae nondum praeſtita, convenitque ut miſſis aliis oratoribus, de jungendis adverſus Turcos, Tattaros & rebelles Coſacos armis, certi quid conſtitueretur (**). Quinta Julii, Elector Brandenburgicus

MICHAEL. gicus voce legati Hoverbequii, coram
1670. Rege professus, se tractus Lauenburgensem & Butaviensem lege fiduciaria tenere, qui tamen litteras renovati feudi accipere noluit, quod Procancellarius Regni, Culmensis Episcopus, titulo Pomesaniensis usus. Eidem Hoverbequio, cui hanc in rem Ostavius additus, injunctum, ut efficeret, quo pacta Velaviensia & Brombergensia mutuo jurejurando firmarentur: quod Regis nomine recusatum, priusquam controversiae ex pactis illis ortae componerentur. Quare legati infecto hoc negotio, discesserunt (***). Secuta nona Septembris altera illo anno comitia, quae intestinis turbis, quarum semina a Primate dispersa, obviam iverunt. Is enim dimissis ad palatinatus litteris, Regem arguerat, quod prioris aulae mores aeque graves, sed minus ferendos, retineret; homines, qui neglectis publicis, omnia ad Principis commoda referrent, aleret; in pacta conventa non bona fide jurasset; matrimonium inscia Republica, multis in senatu dissvadentibus contraxisset; & quod bina comitia ejus gratia rupta fuissent, ne potestas intra justos terminos legibus coërceretur. Adjecerat Primas, urgens malum moram non ferre, & patientiam quam audaciam perniciosiorem esse. Hoc veluti classico accendebantur ex diversa

quam-

quamvis cauſa, tum quibus Michaelis ele- MICHAEL.
ctio minus placuerat, tum quorum ſtudiis 1670.
illa debebatur. Recitatae in comitiis litterae, quas ſcripſiſſe non inficiatus Primas, ſed vera ſe ſcripſiſſe probare conatus eſt. Diluit objecta Procancellarius Olſzovius, ſed Vexillifer Sendomirienſis acriter in Primatem invectus, ab Epiſcopo Cracovienſi viciſſim objurgabatur. Deprecati Regem pro Primate ſtantes ante ſolium Senatores, poſt quos accedens Primas, veniam oravit & obtinuit. Moleſte ferebat equeſtris ordo, impune Regem incuſſatum fuiſſe, impetrabatque in eos judicia perduellionis, qui alieno a Principe animo, nova moliri ſuſpecti erant. Sed nemine damnato, quicquid hujus generis admiſſum, publica lege condonatum fuit, in poſterum ſevere vindicandum. Simul Ordines fidem ſuam Regi obſtrinxerunt, habituri publicos hoſtes, qui contra ejus electionem aliquid auſi fuerint: Rege viciſſim promittente, pacta conventa, in quae ſimpliciter juraſſet, ſancte ſe ſervaturum, ſalva, ſi ſecus fecerit, legum auctoritate (†). Nondum finita comitia, cum Regina Ordinum conſenſu, apportatis Cracovia inſignibus, Varſaviae diademate exornaretur, cui & bona decreta, quorum reditibus aliquando viduitatem ſuſtentaret (††).

(*) ZA-

MICHAEL. 1670.

(*) ZAWAD. *Hist. arc.* p. 127. s. ZALVS. T. I. part. I. p. 237.

(**) CHVALC. *Jus publ. Reg. Pol.* p. 384. ZALVS. l. c. p. 239.

(***) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XI. §. 100. 101. ZALVS. l. c. p. 253-261. LENG. VIII. 36. 37.

(†) ZALVS. l. c. p. 322-331. ZAWADZ. *Hist. arc.* p. 148-188. CONSTIT. a. 1670. p. 13. tit. *Obowiązek.* p. 14. tit. *Uspokoienie.*

(††) CONSTIT. p. 13. tit. *Koronacya.* p. 18. tit. *Oprawá.* ZALVS. p. 333.

§. VI. Ante finem anni 1670. nova inter Regem & Brandenburgicum Electorem, ex privato homine, lis orta. Christianus Ludovicus Kalksteinius, Prussiae Brandenburgicae nobilis, ob mala facinora, primum capitis, dein ad perpetuos carceres damnatus, post annum unum liber, ut tamen sine Electoris consensu nunquam praedio suo excederet, Varsaviam venit: ubi ultionis cupidine multa adversus Electorem molitus, in proximis comitiis confictos Prussorum nomine libellos Regi & Ordinibus exhibuit, quasi Polonorum auxilium adversus Electoris dominationem implorarent. Fugitivum hunc turbatorem, cum frustra sibi tradi postulasset Elector, Brandius negotiorum causa ad aulam Polonam residens, Regiis quam-

quamvis litteris a vi munitum, clam in MICHAEL.
Prussiam vicesima Novembris abduci 1671.
curavit. Graviter tulit Rex, hominem fide publica tutum, sub suis quasi oculis capi & extra Regnum mitti, ut tum litteris, tum per legatum de injuria questus, Kalksteinium reddi, & in facinoris auctorem ac ministros justa poena animadverti postularet. Elector, cui id gratissimum acciderat, suo jussu factum negabat, & quo Regem deliniret, a. 1671. Brandius consulto absens, lato in speciem decreto, bonis exutus proscribebatur, mox alia sententia absolutus, post triennium, Joanne III. electo, Varsaviam ad suum munus rediit. Kalksteinius initio a. 1672. Memelae capite poenas persoluit (*).

(*) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XI. 103. 104. 108. ZALVS. T.I.part.I.p.276.278.279.295.

§. VII. Supererat pactorum Velaviensium & Brombergensium confirmatio, cujus causa ab Electore Hoverbequius & Tettavius Decembri a. 1671. Varsaviam venerunt, qui sepositis controversiis impetrarunt, ut mense Martio sequentis anni, nomine Regis, a Castellano Visnensi, Zochovio, & Succamerario Varsaviensi, Opacio, in pacta juraretur, quod pro Electore a legatis factum: qui tum auxilia mille & quingentorum peditum, ad quae ex

MICHAEL. iisdem pactis obstrictus erat, contra Tur-
1672. cos praestitit (*). Ab his enim a. 1672. bellum illatum, causa ex Cosacorum dissensionibus, quorum pars, ut alio tempore memoravimus, sub Doroszio illorum clientelae se permiserat. Inde postulatum, ut Poloni jure suo in Cosacos & Ucraina cederent: qui cum seditiosos modo pactionibus, modo vi ad obsequium reducere vellent, hisque Tattari subvenirent, jam a. 1671. armis certatum: quo supremus exercitus Dux, Sobiescius, ab Hanenkone, Cosacorum, qui in fide manserant, praefecto adiutus, bene rem gessit, ut aliquot oppida rebellibus eriperet, eosque ac Tattaros passim funderet (**). Sed major moles a Turcis imminebat, cui sustinendae Respublica impar, praesidiis ob rupta a. 1672. comitia non provisis, nisi quod Regi concessum, nobilitatem urgente discrimine ad arma evocare. Czarus Moscorum, cum quo pacta Andruszoviensia Aprili iterum instaurata, vires Turcorum, concitatis in eos Persis immissisque Cosacis suis, se distracturum, & justo exercitu subventurum, quam primum modus per novam legationem constitutus fuisset, promisit: qui etiam post biennium, rebus plane pacatis, Kioviam reddere voluit (***).

(*) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XI. 106. 107.

(**) ZA-

(**) ZALUSC. T. I. part. I. p. 309. 310. MICHAEL.

(***) ZAWADZ. *Hist. arc.* p. 237-315. ZALUS. 1672.
l. c. p. 313-319. 352. f. LONDORP. *Act. publ.* T. IX. p. 815.

§. VIII. Mense Augusto, ipse Turcorum Caesar Ucrainam ingressus, cujus exercitus, junctis sub Doroszio Cosacis, ducentorum millium habebatur. Hunc Cameneco admovens, celebre totius Regni propugnaculum, natura tamen magis quam operibus munitum, vi ad deditionem subegit, unde Leopolim Septembri accessit: quae civitas, quam praeter oppidanos, quingenti tuebantur praesidiarii, cum ictus tormentorum & hostium impetum fortiter sustinuisset, sibi diffidens obsidionem octoginta imperialium nummorum millibus redemit, quinque millibus numeratis, reliquis fide obsidum alio tempore praestandis. Eodem tempore in castra hostium a Rege, qui cum excita nobilitate inter Lublinum & Golembium consederat, legati de pace acturi venerunt, quae decima septima Octobris duris conditionibus composita fuit: ut Camenecum cum Podolia Turcis, Ucraina Cosacis sub Turcorum clientela relinqueretur, & horum Caesari singulis annis viginti duo aureorum nummorum millia repraesentarentur, pecunia a Leopoliensibus promis-

MICHAEL. sa intra sex menses ex Reipublicae aerario
1672. solvenda (*). Neque ad summam rei profuit, quod eo ipso, quo pax constituta, mense, Sobiescius Tattarorum, sedes suas cum praeda repetentium, quindecim millia ad Kalussium in finibus Podoliae prope Tyram profligaret, & viginti captivorum millia in libertatem restitueret (**).

(*) ZALUS. T. I. part. I. p. 398. 412. 438. LENGN. VIII. 74.

(**) ZALUS. l. c. p. 399. s.

§. IX. Restincto in breve tempus externo bello, intestina dissidia durabant, Primate & supremo exercitus Duce cum aliis a Rege aversis. Non invenerant huic malo medicinam comitia, quin etiam illud auxerunt, ut nobilitas ad Golembium congregata, extraordinarium remedium adhibendum censeret, ac foedere juncta, praefecto sibi in Mareschalcum Stephano Czarnecio, sacramento se obstringeret, non disolvendum vinculum, nisi Principis auctoritate & domestica pace firmatis: nec minus a Rege in idem foedus & publicas leges juratum. Tum Regni Primas tanquam praecipuus intestinorum motuum auctor, ejusque duo fratres, Palatinus Plocensis & Vexillifer curiae, quasi facinorum socii & administri, dignitatibus bonisque multati, in eos autem qui comitia

tia ruperant & alios perduellionis judicia decreta, ſancitisque pluribus, reliqua ad consilium magnum, quarta Januarii a. 1673. inchoandum, dilata fuerunt. Inter quae Sobieſcius exemplo Primatis praemonitus, apud exercitum efficiebat, ut ſe non minus pro religione, Rege ac juribus, quam Ducum auctoritate & ſtipendiis foedere jungeret, quo Golembienſibus foederatis, ſi quid gravius ſtatuerent, ſuos opponere poſſet: quae res civile bellum non obſcure portendere videbatur (*). MICHAEL. 1672.

(*) ZALVS. T. I. part. I. p. 393. ſ. p. 404. ſ. LENGN. VIII. 75. 77.

§. X. Dum habetur conſilium magnum Varſaviae, Primas cum ſibi addictis Lovicii conſultat, quo Cracovienſis Epiſcopus & Vitepscenſis Palatinus mittuntur, ut iis concordiam perſuadeant. His a compoſitione non alienis, poſt aliquam moram res eo deducta, ut ſe in Uiasdovam prope Varſaviam conferrent, ubi ita transactum, ut ſublatis adverſus cives foederibus, Regis majeſtas, publica jura, receptae conſuetudines, novo ſcito firmarentur, & quicquid ad Golembium in Primatem & alios decretum abrogaretur (*). Neque Primas diu ſuperfuit, decima quinta Aprilis in Uiasdovenſi arce mortuus. Sobieſcius & qui praeter hunc in ejus par- 1673.

MICHAEL. 1673. tibus fuerant, juncti caeteris Ordinibus, verso in ordinaria comitia consilio, jam de bello Turcico deliberabant, quod nemo facile erat, qui non indignam illam pacem, ultima necessitate nuper extortam, aversaretur. Et fuit omnium consensus, amissa armis recuperare, pecunia in sumtus non uno genere tributorum conferenda. Inter quas de bello consultationes, Litvani obtinuerunt, ut tertia quaevis comitia, convocationis, electionis & coronationis exceptis, Grodnae haberentur (**).

(*) CONSTIT. a. 1673. p. 1. s. tit. *Constit. pa-tificat. internae.* LENG. VIII. 79. 82.

(**) CONSTIT. p. 18. tit. *Scym. trzeći,* ZALVS. p. 439-464. 489-491. ZAWADZ. p. 321-402. LENG. VIII. 83. 85.

§. XI. Comitiis decima tertia Aprilis finitis, rerum ad bellum apparatus festinari, ac copiae Polonae & Lituanae contrahi, quae ad Squaravam haud longe Leopoli, sub suis Ducibus castra metabantur. Rex quo interesset expeditioni, secunda Septembris Varsavia Leopolim profectus, in castra abiit, unde eum exercitu lustrato morbus Leopolim repetere adegit. Laborabat a renibus, hinc mictus sanguinis; accedebant frequentes vomitus, & licet ulcus internum opportune ruptum spem valetudinis medicis faceret, die tamen decima

cima Novembris a. 1673. teſtamento ſcri- MICHAEL. 1673.
pto, aetatis triceſimo quinto, regni quinto anno, ſobole nulla, exſpiravit (*). Contigit ei regimen turbidum & infelix, majore tamen civium, quam ſua culpa. Etſi enim artium imperandi minus gnarus, excuſandus hoc nomine, quod procul ab ambitu, regnum non affectaverit, ſed ultro oblatum invitus receperit. At cum multis procerum indignantibus Rex eligeretur; cum Gallicae partes eaeque validae ipſi adverſae; cum deſpicerent Principem, qui privatum neglexerant; cum quatuor annorum ſpatio, totidem comitia rumperentur; & ingruentibus Turcis Tattarisque, Reſpublica in medio relinqueretur: non potuit non diſſenſionibus exagitari Polonia, & in illud diſcrimen adduci, quod ſubiiſſe memoravimus. Forſan reſtituta concordia, exſtincto Primate Prazmovio, repreſſis clade Chocimenſi hoſtibus, & ſub Michaele reſpublica reſurrexiſſet: ſed morte in flore aetatis melioribus praereptus, jam poſteris documento, contemni majeſtatem, niſi opibus ſuſtineatur.

(*) ZALVS. T. I. part. I. p. 491. 492. 549. 478. 479. 550. LENG. VIII. 92.



CAP. VII.

DE

IOANNE III.

§. I.

JOANNES III. 1673. Reverſo Leopolim Michaele, Sobieſcius, penes quem exercitus imperium, caſtra in hoſtem movens, trajecto Tyra, per Ruſſiam rubram Moldaviam ingreſſus eſt. Conſederant ſexaginta circiter Turcorrum millia ſub Baſſa Huſſeimo, prope Chocimum munitis caſtris; hos ſupremus Dux, Palatinorum Moldaviae & Valachiae ab hoſtibus ad ſe transfugio confirmatus, aggredi ſtatuit, antequam Kaplanus Baſſa cum auxiliis adveniret. Facto undecimo Novembris, poſtridie quam Rex mortuus, impetu, capta caſtra & magna edita ſtrages, ut ultra triginta hoſtium millia periiſſe dicerentur, Polonorum vix ducentis deſideratis. Machinae & omnis apparatus militaris in praedam ceſſerunt. Secuta, poſt oppugnationem, Chocimi deditio, tuto abitu praeſidiariis Camenecum permiſſo, voluitque Sobieſcius victorem exercitum, in Kaplanum Baſſam ad Cetſoram metantem ducere, qui certior de Chocimenſi clade factus receſſit, & Sobieſcius, cum nobiles, nunciata Regis morte, dilaberentur, ac Michael Pacius

cius cum Litvano exercitu diſcederet, expeditionem finivit, diſpoſitisque per Moldaviam, Pocutiam & vicinas terras copiis, Leopolim rediit (*). JOANNES III. 1673.

(*) ZALUS. T. I. part. I. p. 492-504. 549-554.

§. II. Comitia convocationis, quae interregni tempore haberi ſolent, a Caſimiro Floriano Czartoryſcio, Cujavienſi Epiſcopo, nominato Primate, ad diem quintum decimum Januarii a. 1674. indicebantur, ubi externae ſecuritati proviſum & domeſtica pax firmata fuit (*). Electio novi Regis in alio conventu, viceſima Aprilis inchoato, ſucceſſit, Ordinibus antea de candidatis multum diſcordantibus. Erant enim plures regni competitores, Duces Lotharingiae, Mutinenſis, Sveſſionenſis, Principis Neoburgici filius natu maximus, & frater Regis Daniae, Georgius, pecuniam, militem & alia commoda large promittentes. His alii Czari Moſcorum filium, Duces Eboracenſem, Bavariae, Vindocimenſem, Principem Tranſilvaniae Abafium, Ioannem Auſtriacum, Philippi IV. Regis Hiſpaniae filium haud legitimum, ut reliquos, quorum nomina ferebantur omittam, adjiciebant. Multis Carolus Emilius, Electoris Brandenburgici filius, placuit, quem tamen religio arcebat, quae cum & Prin- 1674.

JOANNES III. 1674. cipi Dano obeſſet, hic a catholica non alienus dicebatur. Sobieſcius, cui praecipua apud Ordines auctoritas, & magnum in milite ſubſidium, Condeum Gallum praeferebat, uſus hoc nomine, ut ſibi pararet ſuffragia. Regina vidua, eique addictiores, inter quos Primas & Litvani exercitus ſupremus Dux, Michael Caſim. Pac, eminebant, Lotharingium fovebant. Caeteri, qui tum a Condeo, tum a Lotharingio alieni, pro Neoburgo animos junxerant, ab ipſo Rege Galliae per legatum in ſpeciem commendato. Injecta ſpe, poſſe omnes in unum convenire candidatum, ſi Regina a ſuo deſiſteret, mittuntur ad eam ſex Epiſcopi, qui oſtentando Neoburgi matrimonium, fruſtra rogant, ut in hunc animum ſuum flectat: quod ab iis qui Reginae parum aequi in deterius tractum, quaſi ſuo arbitrio Polonis Principem imponere vellet. At gravius afflixit Lotharingicas partes mors Primatis, inter electionem ex calculi doloribus defuncti, cum Sobieſcii ſub Condei nomine creſcerent, legato Gallico clam adjuvante. Die undeviceſima Maji excipiendis ſuffragiis deſtinata, Palatinus Ruſſiae, Stanislaus Jablonovius, in ſuo palatinatu, cui Sobieſcius intererat, praefatus de Lotharingio & Condeo honorifice, primus Sobieſcium Regem cenſuit, aſſenſus Maximilianus Fredro,

Fredro, Leopolienſis Caſtellanus, & poſt hunc totus palatinatus, ſolo Sobieſcio obnitente, a quo Condeus nominabatur. Traxit unius palatinatus exemplum caeteros in ſuas partes, ut brevi tota Polonia, nullo palam obloquente, conſentiret, Litvanis ex re improviſa quaſi attonitis, & quem vellent, ambigentibus. Tum poſtulatum, ut Epiſcopus Cracovienſis Andreas Trzebicius, cui Primatis mandatae partes, ſtatim novum Regem declararet, ſed interceſſit, cujus cauſa agebatur, Sobieſcius, & Litvanos expectari voluit, quibus viceſima prima Maji accedentibus, renunciatio ab eodem Epiſcopo peracta, & a Mareſchalcis repetita fuit (*). JOANNES III. 1674.

(*) PUFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XII. §. 70-80. ZALUS. T. I. part. I. p. 555-558. LENGN. VIII. 105-112.

§. III. Hoc modo Ioannes Sobieſcius, ſupremus Regni Mareſchalcus & exercitus Dux, Regium ſolium, aetatis quadrageſimo quinto anno, aſcendit. Pater ei Jacobus, Caſtellanus olim Cracovienſis, mater Theophila, Palatini Ruſſiae Danilovii filia & Stanislai Zolkievii, ſupremi regni Cancellarii ac exercitus Ducis neptis. Ex Regni Vexillifero, major Mareſchalcus, cui honori, minor, mox ſuprema exercitus praefectura acceſſit: ad quas dignitates

JOANNES III. 1674. tates a Joanne Caſimiro evectus, cujus non minus, quam Reginae gratia floruit. Super amplas in Ruſſia rubra poſſeſſiones, auxerant reditus bona regia, & opes ex matrimonio cum Maria Caſimira, Ludovici Marchionis Arquiani ex Gallia filia, Palatini Sendomirienſis, Joan. Zamoiſcii vidua, contracto. Saepe in hoſtem pugnavit, maxime tamen ejus nomen Chocimenſi victoria illuſtratum, qua maculam ex indigna pace, antequam inveteraſceret, delevit. Rex renunciatus, pro more cum Republica pactus, ſe ad leges regnaturum, ac effecturum, ad quae priores Principes obſtricti; additis: quod aſſignatos Reginae viduae reditus ex bonis menſae regiae praeſtare; donata ſibi centum & quinquaginta florenorum millia, ex proventibus Mevenſis praefecturae certo tempore compenſanda, remittere; gemmas reipublicae trecentis ac triginta octo millibus florenorum oppigneratas ſua pecunia redimere; ſcholam equeſtrem inſtituere; & duo munimenta propriis ſumtibus excitare velit (*). Id ſingulare, inaugurationem novi Regis longius prolatam, ac ei conceſſum, ut interea ſigillo privato, cubiculare appellato, nobilitatem, neceſſitate urgente, ad arma excire; ſub eodem, comitia & minores conventus indicere; ad exteros Principes, praeter ſo-

lum

lum Moſcoviae Czarum, cui Litvanicum ſigillum ſervatum, literas dare; & novum Primatem deſignare poſſet (**). JOANNES III. 1674.

(*) ORDINAT. ELECT. a. 1674. p. 15. ſ.

(**) ORDINAT. ELECT. tit. *Oznaymienie* p. 10.

§. IV. Sed redeundum ad bellum Turcicum, in quod novus Rex, Joannes tertius appellatus, prima conſilia vertit. Receſſerant ex Moldavia, quae ibi diſpoſitae Polonae copiae, tum commeatus inopia, tum metu, ne ab hoſte opprimerentur, ſolum Chocimum praeſidio inſidente: quod a Turcorum Caeſare, qui ipſe ſuum ducebat exercitum, oppugnatum deditionem fecit. Hic cum agitaſſet, in Ruſſiam rubram ſe infundere, Hano Tattarorum auctore, in Ucrainam flexit, quod ſatius viſum, Coſacos qui a Doroſzio alieni domare, ac ipſos illos, qui huic parebant, ob infidum gentis ingenium, locatis passim praeſidiis continere, ne a tergo inſurgerent, dum alibi certaretur. Subacta vi, quae reſiſtebant, oppida & caſtella, ut tota Ucraina usque ad Boryſthenem, praeter ſolam, quam Poloni tenebant, Bialocerkviam, ſub Doroſzio in Turcorum ditione eſſet, qui relictis ibi quindecim circiter Tattarorum millibus, Moldaviam repetierunt. Inter haec Palatinus Ruſſiae, Jablonovius, prope Buſcum Polonum

con-

JOANNES III. 1674. contraxit exercitum, ad quem Rex Augusto menſe Varſavia profectus, junctisque copiis Litvanis autumno adulto in Ucrainam movit. Recuperata loca, alia armis, alia ſponte incolarum, ac Turcicis praeſidiis liberata, ut ex munitis Doroſzio, praeter Czehrynum & Povolocum, fere nulla ſupereſſent. Tum miles per provinciam in hibernis locatus, niſi quod major pars Litvani exercitus cum ſummo praefecto, Pacio, ad ſua rediret, Rege Braclaviae conſiſtente (*).

(*) ZALVSC. T. I. part. I. p. 504. 535-538. 559-564.

1675. §. V. Initio anni 1675. fuſi aliquot conflictibus Tattari, actaeque per excurſiones in Moldavia praedae. Mox capta a minore Litvani exercitus Duce, Radzivilio, Povolocia, ac ex praeſidiariis octingenti Coſaci Doroſziani ad Regem tranſierunt: horum exemplum cum & aliae cohortes ſequerentur, donatae iis veſtes, numerata ſtipendia, ac praefectus Sirco impoſitus. His per oppida diſtributis, & locis praecipuis Polono milite ſimul neceſſario apparatu firmatis, Rex Aprili in Ruſſiam rubram rediit. Eo per Ucrainam Podoliamque, Turcicarum copiarum Dux Ibraimus, ac Hanus Tattarorum penetrare, arces aliquot in itinere non ſine

ſuorum

ſuorum caede capientes. Ad Zloczoviam Palatinus Ruſſiae viginti millia Tattarorum fudit, & Rex qui ſub Leopoli metabatur, ſine Auguſti alium eorum exercitum, modica duorum millium manu in fugam egit. Pugnatum & alibi feliciter, hoſtesque captivis & praeda exuti. Dein Ibraimus Podhaiecios oppidum obſidione cinxit, deditumque evertit: ſed a Trubovla arce poſt acrem oppugnationem rejectus, & dum Rex motis Leopoli caſtris inſequitur, trajecto Tyra cum Hano in Moldaviam redit, Rex autem Zolkieviam revertit, parte copiarum in Moldaviam miſſa, quae Soczavam direptam incendit (*). JOANNES III. 1675.

(*) ZALVS. l. c. p. 539-565. 583.

§. VI. Expeditionem ſecuta Regis inauguratio, ſecunda Februarii a. 1676. a Primate, Andrea Olſzovio, Cracoviae peracta, ſimul Reginae corona impoſita: cum ultima Januarii, duorum Regum, Ioannis Caſimiri & Michaelis, exſequiae praeceſſiſſent. In proximis comitiis, cura belli Turcici Ordines potiſſimum occupavit, in quod praeter pecuniam, exercitus duodeſexaginta millium decretus: ſed per rumorem, quaſi pace cum Turcis clam compoſita, arma in Brandenburgicum vertenda eſſent, copiae tardius & mi- 1676.

nori

JOANNES III. 1676. nori numero confluebant, ac tributa haud justo tempore praestabantur. Nihilominus ipse Rex in hostem ire constituit, qui captis ad Tyram castellis aliquot, Pocutiam ingressus Haliciam & alia oppida tenebat. Contracta prope Leopolim Polonorum septem, Litvanorum tria millia, cum quibus Rex, Septembri mense, Tyra & Strio fluminibus trajectis, ad Zuravno in castris constitit, hoste tria hinc milliaria metante. Pars eorum Voynilovia capta arcem ejus oppugnabat, quos missus cum signis duodeviginti Vexillifer Regni, Hieronymus Lubomirius, non sine illorum clade in fugam egit, ac acrius insequens ad castra Tattarorum delatus, a quibus fuisset oppressus, nisi submissae turmae in receptu impetum hostium sustinuissent. Vicesima quarta Septembris, Rex ad vicum Dolhe cum solo equitatu Tattaros profligavit, pluribus in fuga quam in acie caesis, post quam victoriam in castra rediit, mox tribus militum millibus aucta. Die Michaeli sacra, alia pro castris pugna, quam nox diremit, cum horae spatio hostium sexcenti occubuissent. Ab eo tempore Regem Turci Tattarique cinxerunt, ex grandioribus tormentis, glandes duodequinquaginta librarum in castra jaculantes: ad quae jam nullus patebat aditus, ut Radzivilius, minor Litvani exercitus prae-

Praefectus, & alii qui tardius copias adduxerant, prope Leopolim subsistere cogerentur. Ad famam, Regem cum suis clausum teneri, trepidatum per Poloniam, ut Primas ex Senatorum consilio nobilitatem exciret, & palatinatus de praestandis ex comitiali scito militibus moneret: serius auxilium, nisi alio modo saluti fuisset prospectum. Rex enim cum crebris ex tormentorum ictibus, tum eruptionibus fortiter resistendo, hostes primum ad inducias, mox ad pacem flexit, quae in eorum castris decima septima Octobris ita convenit: Recipiat Rex duas Ucrainae partes, tertiam Cosaci teneant; de Podolia certi quid post adventum legati Poloni, in aula Turcica constituatur; & obsides Leopolienses & Pomorzani, cum captivis gratis dimittantur. His tum alia, tum auxilia Turcorum & Tattarorum addita, si ea Poloni in hostes suos exigerent, ac Tattaris Litvanis, qui Lipci dicuntur, concessum, suam sedem, si velint, intra annum in Turciam transferre. Tum hostes abitum festinarunt, post quem, quindecim captivorum millia cum sua supellectile restituta sunt. Rex in castris a Regum Galliae & magnae Britanniae legatis salutatus, Zolkieviam regrediebatur, vbi ipsi equestre insigne Gallicum, cui a Spiritu Sancto nomen, collatum (*).

JOANNES III. 1676.

S (*) ZA-

JOANNES III. (*) ZALVSC. l.c.p.544-546. 601-619. 691.

§. VII. Zolkievio Rex initio anni
1677. 1677. Varſaviam rediit, ac decima quarta Januarii comitia ſecuta, in quibus pace cum Turcis probata, Joan. Gninſcio, Culmenſi Palatino, legatio Conſtantinopolim mandata fuit. Poſt comitia, viceſima ſeptima Aprilis Dux Curlandiae per legatum clientelam profeſſus (*), & decima ſeptima Maji pacta Brombergenſia firmata, nomine Regis praeſentis, Caſtellano Posnanienſi Grzymultovio, & Theſaurario curiae Szumovio, pro Electore Brandenburgenſi, Hoverbequio & Tettavio, in illa jurantibus, poſtulationibus utrinque ſalvis. Eodem die renovatio feudi terrarum Lauenburgi & Butaviae peragebatur (**). Junio menſe, Rex Varſavia Gedanum profectus, ut inter urbis Senatum & civium partem diſſidia componeret, unde lato decreto ſequenti anno rediit. Interea ibi Regina filium, Alexandrum poſtea dictum, peperit, Primas autem Andreas Olſzovius, undetriceſima Auguſti defunctus eſt (***).
1678. Cum Czaro Moſcorum decima ſeptima Auguſti a. 1678. Andruſzovienſes induciae, quae a. 1680. finiiſſent, in annum 1693. per legatos prorogabantur, ut interea de perpetua pace ageretur: ſimul Polonis tres praefecturae, Nevelenſis, Szebie-

Szebiesensis & Vielisçensis, tractum se- JOANNES
ptuaginta milliarium continentes, resti- III.
tutae, ac vicies centena millia floreno- 1678.
rum numerata (†). Eodem anno Prussia Brandenburgica Svecorum ex Livonia irruptione perturbabatur, Electore incassum urgente, ne Rex transitum per Curlandiam & Samogitiam permittat: cui a legatis Gallico & Svecico, Prussia haec promissa, haereditario jure a sua domo possidenda, simul ea Elector exutus fuisset. Erat sedecim millium exercitus, Henrico Hornio duce, qui mense Novembri Prussiae fines attigit, ac omissa Memelia, Tilsitanum & Ragnicensem praefecturas insedit, mox Velaviam usque se
diffundens. Sed cum Elector mense Ja- 1679.
nuario sequentis anni, cum copiis ex Germania suae provinciae subveniret, Sveci recedere, Brandenburgicus miles in Curlandiam usque insequi, & quoties copia dabatur, confligere, vt vix duo millia & quingenti in Livoniam salvi redierint, caeteris ferro, frigore aut morbo absumtis (††). Fine anni 1678. Grodnae comitia coeperunt, ideo memoranda, quod ibi ex lege a. 1673. primum habita. Rebus tum per Poloniam tranquillis, Gallicus, qui in aula Regia erat, legatus, mo-
tus Hungariae intestinos fovebat, pecu- 1681.
nia & milite rebelles juvando. Elector

JOANNES III. 1681. vero Brandenburgicus Regem offendit, cum ſine ejus conſenſu, defuncti Principis Boguslai Radzivilii unicam filiam, Ludovicam Carolam, cui ampliſſimae in Litvania poſſeſſiones, quaeque ideo Joannis III. filio maximo, Jacobo, deſtinata, Regiomonte initio anni 1681. filio ſuo Ludovico jungeret. Sed placatus Rex, Electore promittente, quod per hoc matrimonium commodis Regiae domus officere nollet (†††). 1683. Poſt biennium, Curlandiae Dux Fridericus Caſimirus clientem ſe per legatum profeſſus, ſed lege ſancitum, ut in poſterum ipſe Dux praeſens feudi inſigne reciperet (*†).

(*) CHVALC. *Jur. publ.* p. 542. ſ.

(**) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XV. §. 14.

(***) ZAL. p. 693-695. 721. ſeq.

(†) CHVAL. l. c. p. 389. ſ. ZALVS. l. c. p. 700.

(††) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XVI. §. 65-69. XVII. §. 1-7.

(†††) ZALVS. p. 709. PVFEND. XVIII. §. 27-30.

(*†) CONSTIT. a. 1683. p. 6. tit. *Homagium.*

§. VIII. Id Joanni III. per totum ſuum regnum glorioſiſſimum accidit, Viennam in Auſtria, obſidione Turcorum a. 1683. liberaſſe. Praeceſſerat in comitiis illius anni, adverſus Chriſtiani nominis hoſtem,

hoſtem, cum Leopoldo Caeſare, qua JOANNES III. 1683.
Hungariae & Bohemiae Rege ac Archiduce Auſtriae, Papa Innocentio XI. conciliatore, foedus, per quod Rex bellum quadraginta, Caeſar ſexaginta millium exercitu gerere, hicque remiſſo ob auxilia Svecici belli tempore debito, ac diplomate de eligendo ex domo Auſtriaca Rege reddito, duodecies centena millia florenorum polonorum in ſumtus repraeſentare, ac ut decimae ex reditibus ſacris in Regno Neapolitano & Ducatu Mediolanenſi, quam primum Summus Pontifex indulſerit, per bellum Turcicum in ſubſidium praeſtarentur, apud Regem Hiſpaniae ſuam auctoritatem interponere promiſit. Praeterea cautum, vt, ſi vel Viennam vel Cracoviam communis hoſtis oppugnaret, junctis utriusque Principis copiis ſubveniretur (*). Obſeſſa a Turcis Vienna, cui Rex in auxilium exercitum viginti millium duxit, ac praemiſſo cum parte copiarum minore praefecto, Szeniavio, viceſimo Auguſti Sileſiam ingresſus, filio natu maximo, Jacobo, expeditionis comite. Iter in Moraviam, inde in Auſtriam, ubi Dux Lotharingiae cum Caeſarianis adventum opperiebatur. Sexta Septembris Poloni e regione Tulni Danubium ponte transmiſerunt, quos poſtera die ſecuti Germani, & trans flu-

JOANNES III. 1683. men Bavari sub suo Electore, caeterique auxiliares accesserunt; ut totus exercitus duodeseptuaginta millium esset, summo penes Regem imperio. Mota Tulno in hostem castra nona Septembris, itinere per montes & saltus invios difficili, ventumque duodecima in hostis conspectum, qui aciem pro castris instruxerat. Eodem die commissa pugna, qua Turci numero, qui trecentorum millium ferebatur, longe praevalentes profligati, castra omni genere militaris apparatus aliisque rebus opulenta in praedam reliquerunt. Sed potior victoriae fructus erat, Viennae liberatio, quam Rex postridie inter faustas acclamationes ingrediebatur. Aderat sequenti Caesar, qui ante urbem, Rege per amplexus salutato, Polono exercitui sub signis stanti benignissimis verbis gratias egit. Progressus in Hungariam Rex, Comorra cum equitatu suo Parcanum praecessit, qui cum ibi Turcorum impetum sustinere non posset, pedem retulit, hoste acriter urgente, ut de Rege ejusque copiis actum fuisset, nisi Dux Lotharingiae cum exercitu Caesareo opportune subvenisset: quem procul conspicatus hostis, retro abiit. Post diem unum quieti datum, nona Octobris totis viribus certatum, ac insignis victoria reportata, post quam Parcanum vi, Strigonium & Setcynum

num deditione captae. Hic finiit expeditio, & Rex ante anni exitum in Poloniam rediit, quo ipsum copiarum pars secuta, reliquis in superiore Hungaria prope limites Regni in hibernis locatis (**). JOANNSE III. 1683.

(*) ZAL. T. I. part. II. p. 803. s.

(**) ZAL. l. c. p. 828. 836. 842-850. DALERAC. *Hist. arc. Pol.* T. I. p. 123-136. LENG. VIII. 234-237.

§. IX. Interea dum Rex cum utroque exercitus Duce abest, Andreas Potocius, Castellanus Cracoviensis, in Podolia rem bene gessit, locis aliquot occupatis, ac praesidiariis Camenecensibus Tattarisque fusis. Deinde Moldaviam ingressus, Palatinum ad deditionem compulit, unde imposito Jassiis praesidio, relictisque in Moldavia, cum suo praefecto Kunicio, Cosacis, in Poloniam revertit. Tricesima Decembris, Cosaci cui Moldavi se junxerant, trans Hierasum impetum Turcorum Tattarorumque fortiter sustinent, & sequentibus diebus, quod numero impares, servatis ordinibus, inter continuas fere pugnas recedunt. Cum autem Moldavi Cosacos deserunt, hi relictis impedimentis dilabuntur, quos ad Jassios collectos, Kunicius initio anni 1684. in Ucrainam reducit (*). Hoc anno exercitus Polonus sub Duce supremo Jablonovio, prope Buscum ad finem Julii metatus, 1684.

JOANNES III. 1684. tatus, Visniovczycum movit, ubi Litvanae copiae cum ſupremo ſuo praefecto, Caſimiro Sapieha, acceſſerunt, & prope Buczacum in Podolia Rex menſe Auguſto in caſtra venit: quae ſubacto ad deditionem Jaslovieco, Zvaniecium prope Tyram mota, parsque exercitus flumine transmiſſo, ſub Chocimum Tattaros repreſſit, qui cum Tyram ſuperare deſperaſſent, equis & viris multum imminuti, Octobri ad ſua redierunt: poſt quorum diſceſſum Rex, circumlatis per Podoliam armis, hoſtibusque per minores pugnas male habitis, Novembri ex ſuis caſtris abiit. Eodem anno, Veneti in foedus, quod inter Regem & Caeſarem adverſus Turcos erat, recepti, ea potiſſimum conditione, ut quisque ſuo loco in communem hoſtem pugnet, & arma, quantum fieri poſſit, jungantur, ſi neceſſitas exegerit (**).

(*) ZALVS. T. I. part. II. p. 850. 860.

(**) ZALVS. l. c. p. 851-856. DALER. *Hiſt. arc. Pol.* T. I. p. 342. ſ. DV MONT *nov. coll. foed.* T. I. p. 250.

1685. §. X. Antequam a. 1685. copiae in expeditionem confluerent, miſſus menſe Junio ex Senatus conſilio ſupremus Regni Cancellarius, Joann. Vielopolius, ad Regem Galliae legatus, qui excuſaret, quod

quod ante biennium, aliquot famuli Tyſkevicii, per ebrietatem, Varſaviae in aedes oratoris Gallici, Vitrii, ſclopos breviores diſploſiſſent. Qui facinus patraverant profugi, fama & capite damnati, ac herus eorum, quaſi familiae ſuae indulgentior eſſet, carcere multatus erat: ſed Vitrius ſanctiſſimum gentium jus violatum queſtus, rem integram ſuo Regi ſervavit: qui Vielopolii legatione animum ſuum placari paſſus eſt (*). Bellum autem a Ducibus, Stanislao Jablonovio & Andr. Potocio, quibus cum Litvanis minor praefectus Boguſl. Sluſzca ſe junxit, hoc modo adminiſtratum. Poſtquam decretum, hoſtibus in Moldavia occurrere, exercitus ex Pocutia haud longe Sniatino, inter Tyram & Hieraſum, ſilvam fagineam, *bukovinam* vulgo dictam, initio Septembris ingreſſus, ac vix emenſus, in Turcos Tattarosque incidit, quorum quadraginta ſupra centum millia ferebantur. Rejecti quidem non ſine clade, cum ſtatim ſemel atque iterum impetum facerent, at non poterant Poloni progredi, inſeſſis itineribus, neque in ſilva per inopiam commeatus ſubſiſtere, inde quod metus eſſet, ne intercluderentur, recedere placuit. Factum id inter crebros conflictus, hoſte quo aciem perrumperet nihil omittente, qui caedes & vulnera reportavit. Evaſerunt

JOANNES III. 1685.

JOANNES III. 1685. ferunt Poloni silvam, neque ulterius Turci Tattarique insecuti, sed in Podoliam ac Volhiniam viam flexerunt, unde illato Camenecum commeatu & Niemirova frustra oppugnata, in Moldaviam redierunt (**).

(*) PUFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XVIII. §. 86. DALERAC *Hist. arc. Pol.* T. II. p. 16. 79. ZALUS. T. I. part. II. p. 947.

(**) ZALUSC. l. c. p. 939-947. DALER. l. c. p. 32-44.

1686. §. XI. Sequenti anno Rex in Moldaviam exercitum ducens, die decima sexta Augusti Jassios introiit, relictoque praesidio, in Budziacam versus, ubi Tattarorum, quibus ab hac regione nomen, sedes, perrexit. Hi quo aditus defenderent, non solum finibus adiacentes agros igne late vastaverant, sed etiam exercitum objiciebant, cujus vim praemissus cum tribus millibus Thesaurarius curiae, Rzevuscius, sustinuit, donec Rege cum omnibus copiis adventante, ad eum recederet. Trajecto ultima Augusti Hieraso, posita ad Saraciam castra, unde ob commeatus penuriam, & quod in ulteriori itinere neque pabulum neque aqua suppeteret, Jassios, hinc in Poloniam regredi placuit. Carpebant recedentes Turci Tattarique, cum quibus aliquoties non infeliciter certatum,

tatum, nisi quod Luzeckius, Palatinus Podoliae, cum parva manu longius deflectens, undique cinctus occumberet. Prima Octobris Soczavam tetigit exercitus, unde dimissa pars quingentos supra duo millia Tattaros, dum strati per gramen dormiunt, invadebant, ut mille caderent, & quingenti captivi abducerentur. Nec minus fusi qui in silva *bukovina* insidias paraverant, ac ante finem Octobris copiae in Pocutiam redierunt (*). Interea cum Moscorum Czaris Joanne & Petro, induciae nuper ad annum 1693. prorogatae, sexta Maji Moscuae per legatos in perpetuam pacem versae fuerunt, qua iis, quae per pacta Andruszoviensia relicta, cum Kiovia plane cessum, a Czaris vero ducenta millia rublorum, medium hujus summae statim, reliquum Januario sequentis anni praestandum, nec minus arma in Turcos Tattarosque promissa, ut belli esset societas cum Polonis, Caesare & Venetis, & aliquando pax communis (**). In hanc compositionem Rex initio a. 1687. Leopoli, legatis Moscicis praesentibus, juravit: qui cum a Rege publice audirentur, ac de novis pactis ad Senatus consilium referretur, Jacobus, filius natu maximus, ad patris sinistrum latus sedit, quod novitate sua animos advertit (***).

JOANNES III. 1686.

+

1687.

(*) ZALVSC. l.c.p. 959-968. DALER. l.c.p. 174. s.

(**) CON-

JOANNES III. (**) CONFIRM. GENER. *Sendom.foed.*a.1710. p. 37-50. LONDORP. *Act.publ.*XII. 515.

1687. (***) ZALVS. l. c. p. 989. 1042. DALER. T. II. 209.

§. XII. Nondum contractae erant in finibus copiae, cum mense Martio memorati anni, septem Tattarorum millia, bona Zolkeviensia Regis haereditaria vastarent. Post hos alia manus, vastatis agris Usciensibus, haud longe Buczaco duo vexilla in fugam egit. Neque supremus Dux ad fluvium Stryppam consistens, ob minorem militum numerum impedire potuit, quo minus hostes praesidio triginta millium, commeatum quadringentis curribus Camenecum inveherent. Civitatis tamen ager fuit vastatus, ac cum clade rejecti, qui eruptionem fecerant. Admovit exercitum fine Augusti Jacobus, Rege ad Jaslovecum metante, ad quem filius rediit, cum urbem pilis ignivomis
1688. frustra tentasset (*). Expeditionem hanc secuta comitia, ad vicesimam septimam Januarii a. 1688. Grodnam indicta, quae contradictionibus agitata, donec quinta Martii, ne quidem Mareschalco electo, cujus rei nullum praecesserat exemplum, dissolverentur. Arguebatur Regina quasi per addictiores sibi, successum comitiorum stitisset, graviter ferens,

rens, non potuiſſe perfici, ut Jacobo filio Regi aſſidere liceret (**). Eodem tempore Tattari, duabus incurſionibus Volhiniam populati, in quos Poloni exercitus modica pars ſub Camenecum male pugnavit. Contraxit copias ſupremus Dux, quibus ſuas ſub utroque praefecto junxerunt Litvani, placuitque arma per Podoliam circumferre. Interceptis quadraginta curribus, qui Camenecenſi praeſidio annonam ſubvehebant, meſſis circa hanc civitatem corrupta: & Auguſto menſe prope Paniovce inſtructa acie Tattari exſpectabantur, qui licet ſeptuaginta millia dicerentur, juſtum praelium non auſi, cum immiſſis ex dextra ala certarunt, & in ſiniſtram impetum fecerunt. Tum hoſtis campo deceſſit, poſt quem exercitus Polonus, cum pabulum, commeatus, equi deficerent, regreſſus, levioribus tamen pugnis haud omiſſis, quibus major clades Tattaris illata, quam recepta fuit (***).

JOANNES III. 1688.

(*) ZALVS. l. c. p. 994. 1038. DALER. l. c. p. 228.

(**) PVFEND. *de reb. Frid. Wilh.* XIX. §. 61. ZALVSC. l. c. p. 1057-1059. 1070. 1091. DALER. T. II. p. 332. 334.

(***) ZALVS. l. c. p. 996-1004.

§. XIII. Idem annus 1688. mortem Fride-

JOANNES III. 1688. Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici, Potsdami undetricesima Aprilis exstincti, attulit: cujus ideo mentionem facimus, quod filius idemque successor Fridericus III. Comitem de Dohna legatum Varsaviam misit, qui cum Vicherto ad aulam residente, pro more in pacta Velaviensia ac Brombergensia juraret. Quod quidem ex Senatus consilio ad comitia, aut in aliud tempus dilatum; mox tamen aliter Regi placuit, ac legati ad jusjurandum undetricesima Julii admissi, quod nomine Regis, ipso praesente, a Palatino Czernichoviensi Felkersamio & Regni Referendario Krasinio praestitum (*). Paulo post, aulam multum turbavit nuntius, Radziviliam Marchionis Brandenburgici Ludovici viduam, clam matrimonium cum Principe Palatino Neoburgico, Carolo Philippo, iniisse & consummasse, cujus nuptias Regis filius, Jacobus, praesens Berolini pactus fuerat, ac futuri conjugii certus in Poloniam redierat. Rependit jacturam Elisabetha Palatini soror, a. 1690. desponsa, cujusque nuptiae sequenti anno Varsaviae celebratae sunt (**).

(*) ZALUS. l. c. p. 1061. 1062. 1151.

(**) DALER. T. II. p. 384. s. ZALUS. l. c. p. 1151. 1211. 1218. s. LONDORP. *Act. publ.* XVI. 200 - 203. XVII. 604 - 608.

§. XIV.

§. XIV. Ante finem anni 1688. Varsaviae comitia decima septima Decembris coeperunt, quae per dissensiones protracta, ultima Martii sequentis anni, intercessione abrumpebantur. Distraxit animos Principis Palatini Neoburgici causa, cui alii possessionem bonorum Radzivilianorum in Litvania asserebant, alii negabant, ut & illi auctores irritorum comitiorum haberentur, qui pro Palatino egissent. Auditae etiam in Regem asperae voces, ac si ex lite de bonis Radzivilianis lucrum captaret, cum satius foret a Turcis spolia petere. Episcopus vero Culmensis in alia causa suam sententiam finire his verbis sustinuit: aut regnare desine, aut recte judica. Neque Regina silentio transmissa, cui objectum, quod contra jura, Reipublicae negotiis se immisceret. Erat & inter proceres mutua acerbitas, & ex nobilitate quidam, Episcopum Vilnensem Brzostovium fere manu pulsasset: ob quam iniuriam triduum Varsaviae in omnibus templis sacra interdicta fuerunt. Durabant adhuc comitia, cum Lysczynius, atheismi damnatus, impietate ejurata poenas capite persolveret, bonis ejus inter fiscum & delatorem dividendis (*).

JOANNES III.
1689.

(*) ZALVS. l. c. p. 1102. 1133-1141. DALER. T. II. p. 347. LENGN. VIII. 284-293.

§. XV.

JOANNES III. 1689. §. XV. Venit illo tempore legatus Tattaricus, ſpem magnorum commodorum fruſtra oſtentans, ſi Rex, Hano conciliatore, ſeorſum cum Ottomannidis tranſigere vellet. Potius Pomeraniae Palatinus, Vladislaus Los, Viennam miſſus, quod ibi cum oratore Turcico de pace generali agendum eſſet, quae, cum conditiones diſplicerent, conſtitui non potuit. Quare bellum continuatum, minore quidem vi, nulloque ſucceſſu, cum ſupremus exercitus Dux, Camenecum ex improviſo capere fruſtra conatus fuiſſet (*).

1690. Anno 1690. duas incurſiones fecerunt Tattari, & priore quadraginta vexilla in captivitatem traxerunt, poſteriore Regem Zloczoviae intercepiſſent, niſi in tempore monitus, ante eorum adventum abiiſſet. A Polonis nihil memorabile in hoſtes actum, licet in comitiis menſe Januario inchoatis, bellum ſtrenue perſequi decretum. Sunt haec comitia notatu digna, quod ordo, quo in iis conſultandum ſancitus, ac Reginae frater, Ludovicus Grangeus Marchio Arquianus, publica lege inter regni cives locum obtinuit (**). Poſt comitia ſeptima Maji finita, eodem menſe Regni Mareſchalcus curiae, Lubomirius, & Referendarius, Szczuka, Regiummontem miſſi, qui jurantes in verba novi Electoris Pruſſos, ex formula pacti

Vela-

Velavienſis, ad obſequium Regis & Reipublicae adegerunt, ſi quando exſtincta Friderici Wilhelmi ſtirpe maſcula, ad Polonos ſupremum dominium rediret (†). JOANNES III. 1690.

(*) ZALUS. l. c. p. 1138. 1145. 1147.

(**) ZALUS. l. c. p. 1161-1167. CONSTIT. a. 1690. p. 1. tit. *Obiasnienie*. p. 2. tit. *Poparcie*. p. 16. tit. *Indigenat*.

(†) LONDORP. *Act. publ.* XV. 624. LENGN. VIII. 302.

§. XVI. Majora a. 1691. ſperabantur commoda, quam ab aliquo tempore ex hoſtibus reportata, cum Caeſar praeter Moldaviam & Valachiam, in belli praemium oſtentatas, ſex auxiliarium millia, Polonis in Valachia jungenda promitteret, & Rex exercitum ducere deſtinaret. Triſte tamen omen, Tattari menſe Majo Ruſſiam populantes, qua clade quinquaginta Regis circa Zloczovam & Pomorzanam vici igne deleti: quaſi privatarum fortunarum jactura facilius ad pacem ſingularem moveri poſſet, qui non minus pro re Chriſtiana vitam profundere, paratum ſe praedicavit. Initio Septembris, Moldaviam ingreſſus, magis cum viarum difficultatibus & rerum omnium inopia, quam cum hoſtibus confligandum habebat. Neque promiſſa a Caeſare auxilia aderant, neque ex Valachia commeatum 1691.

JOANNES III. 1691. subvehi permittebatur, unde post viginti millium equorum stragem, exercitus fame & laboribus fessus ac multum imminutus, fine Octobris in Poloniam rediit (*). Sequenti anno cum hoste transactum videbatur, armis plane cessantibus, nisi quod Tattari agros in finibus vastarent, quo-
1692. rum Hanus promittendo Moldaviam Valachiamque, in concilianda pace suam operam iterum commendabat (**). Ne-
1693. que annus 1693. populationibus caruit, dum Tattari per Russiam igne & caedibus impune grassarentur. Debebat huic malo occurri in comitiis Grodnensibus, quae nuntiorum palatinatus Lenciciensis contradictio undecima Februarii irrita reddidit. Quo minus autem sequentia, vicesima secunda Decembris Varsaviam indicta, haberentur, Regis valetudo Zolkieviae decumbentis impedivit (***).

(*) ZALVS. l. c. p. 1220. 1223. 1230. 1238 LENGN. VIII. 307.

(**) ZALVS. l. c. p. 1261. 1263.

(***) ZALVS. l. c. p. 1300. 1305.

1694. §. XVII. Non successit a. 1694. Tattaris, qui importato Camenecum commeatu, in Russiam se infundere constituerant: cum enim & insessi aditus, & copiae majores confluerent, post unum & alterum

rum conflictum, praeda vacui recesse- JOANNES
runt (*). Eodem anno, Rex filiam uni- III.
cam, Theresiam Cunigundam, dote quin- 1694.
gentorum millium nummorum imperialium scripta, Electori Bavariae Maximiliano Emanueli collocavit, quam Episcopus Plocensis Andr. Zaluscius Bruxellas deduxit (**). In Litvania simultas cum domo Sapiehana in motus erupit, ubi Vilnensis Episcopus Constantinus Brzostovius, Vilnensi Palatino & exercitus Litvani supremo praefecto, Cas. Sapiehae, usu publicorum sacrorum interdixit, quod collocatis in bonis episcopatus militibus, hospitio & exactionibus incolis gravis fuisset: qua tamen poena ipsum Archiepiscopus Gnesnensis, ad quem provocaverat, exsolvit. Ivit tum Litvania in partes, aliis Episcopum, allis Palatinum Vilnensem tuentibus, neque Poloni unum sentiebant, ac ipse Rex Sapieharum potentiam coërceri maluisset, quos privatorum conditionem excessisse credebat. Episcopus quidem, quo causam Respublica cognosceret, Palatinum ad comitia evocare, quae ad duodecimam Januarii a.
1695. indicta, ne inchoari quidem potu- 1695.
erunt, quod Lithvani Andr. Casim. Crispinum, ex comitiis Grodnensibus Mareschalcum, equestris ordinis praesidem, donec alius eligeretur, nolebant, quia

 nuntius

JOANNES III. 1695. nuntius ad praeſentia miſſus non eſſet: exiſtimabant enim, non poſſe Mareſchalci munus obire, cui nullus inter nuncios locus eſſet, ac pro Criſpino, Dambrovium, Vilnenſem Succamerarium, commendabant; aliis, ex ratione contraria, Criſpinum tuentibus. Inde duae in nunciorum conclavi partes, dum Poloni pro Criſpino, Litvani pro Dambrovio certant, & neutris cedentibus, ſpatium comitiis conſtitutum, inter contentiones de Mareſchalco dilabitur: culpa motae controverſiae in Sapiehas translata, ne in comitiis, ſi ſuccederent, gravius quid adverſus Palatinum Vilnenſem decerneretur (***). Dum Varſaviae hoc modo diſceptatur, ſexaginta Tattarorum millia undecima Februarii ſub Leopoli conſtiterunt, quos ſupremus exercitus Dux Jablonovius, a Theſaurario curiae Regni Mianczynſcio adiutus, repreſſit, ut incenſa ſuburbii parte, Tyram verſus recederent, omnia qua iter faciebant, igne delentes (†).

(*) ZALUS. l. c. p. 1345.

(**) ZALUS. l. c. p. 1381-1405.

(***) ZALUS. l. c. p. 1318. 1339. 1359. 1361. 1378. 1489. 1508. 1528.

(†) ZALUS. l. c. p. 1523. 1525. 1528.

1696. §. XVIII. Inter publica haec mala Rex

JOANNES III. 1696.

Rex non uno morbo conflictabatur. Difficultas ſpirandi, podagra, calculus, aqua intercus & ex hac ſcirrhus, corpus conficiebant, ut ex Senatus conſilio, ſecunda Junii a. 1696. iter ad aquas calidas extra regnum decerneretur. Sed praevenit illud mors, quam Judaeus medicus dato mercurio feſtinaſſe viſus, idque Rex ſentiens doluit, neminem fore, qui acceleratum obitum ulturus eſſet (*). Finiit vitam die decima ſeptima Junii apoplexia, aetatis ſexageſimo ſexto, regni ſi ab electione numerantur, viceſimo tertio anno. Superſtites ipſi uxor Maria Caſimira, cujus pater paulo ante Cardinalis creatus, tres filii, Jacobus, Alexander, Conſtantinus, & filia Thereſia Cunigunda, Bavariae Electori juncta. Ingenium & mores ejus ita laudati, ut non omni nota careant. Celebrantur litterarum ſtudia, linguae externae, patriarum legum ſcientia, artes militares & regnandi, facundia, comitas, temperantia, fortitudo, clementia: contra arguunt, quod conjugi nimis indulſerit, & ad rem attentior fuerit, quam ejus faſtigio conveniret, ut hoc nomine Veſpaſiano conferri ſoleat. Inde frequens audita querela, multa Reginae arbitrio fieri; dignitates pretio conferri; Judaeis vectigalia locari, horumque libidini Chriſtianos ſubjici, ut reditus intendantur. Apud

JOANNES III. 1696. exteros varia fuit fama. Magnus haberi, cum regni initio Ucraina recuperata, vim Turcorum Tattarorumque modico exercitu sustineret, & bellum decora pace finiret. Mox supra omnes Principes extolli, postquam liberata obsidione Vienna, Germaniam imo orbem Christianum ingenti metu exsolvisset. At bello remissius, & majori jactura quam fructu continuato, Tattarisque impune Russiam vastantibus, immutatus & gloriae suae superstes credi. Et gestum quidem est hoc bellum segnius, neque sine incommodo, haud tamen aliqua Regis culpa. Clandestinae nonnullorum artes, militum, pecuniae, aliarumque rerum penuria offecerunt. In Moldavia magis cum inopia commeatus & viarum molestiis quam hostibus certandum erat, neque alio transferri arma, neque Camenecum sine necessario apparatu, neque Podolia, quamdiu hoc propugnaculum in Ottomannidarum manibus, recuperari poterat. Civium in Regem non una fuit voluntas, multis suspicantibus, quasi regnum domui suae haereditario jure asserere vellet, aliis sui nullam rationem haberi aegre ferentibus, aliis alia causa irritatis. Inde ex duodecim comitiis, sex peracta, unis per Principis valetudinem, quinque per dissensiones non succedentibus, & jacta semina

mina magnorum motuum, qui post Joannem III. graviter rempublicam afflixere. Ipsa Regis domus discors, quod socrui cum nuru, patri cum filio Jacobo, non semper conveniret, aemulatio hunc & fratrem Alexandrum disjungeret, ac Rex sua facilitate efficere non posset, ne uxor haberet foveretque partes, marito parum aequas. Caeterum paravit Joannes III. suis ingentes opes, civium tamen amorem conciliare non valuit, cum externum quemvis, quam ex filiis mallent Regem: qui dum aliunde peteretur, optimus contigit, ut hoc nomine posset videri Vespasianus regno praefuisse, quod Titus successit.

JOANNES III. 1696.

(*) ZALVS. T. II. p. 1. 5. 9. 13. 14. CONNOR. *Descr. Pol.* p. 249. 250.

CAP. VIII.
DE
AVGVSTO SECVNDO.
§. I.

Joanne tertio mortuo, non ex una causa dissensio & motus. In domo Regia, inter matrem & Jacobum filium de haereditate dividenda lis, diffidentia & tanta acerbitas, ut Regina publice Polonos obtesta-

AVGVSTVS II. 1696.

AVGV- testaretur, ne ex filiis legant Principem,
STVS II. caveantque inprimis Jacobum, nisi perire
1696. velint: quod pronis auribus ab iis acceptum, qui Sobiescianam prolem aversabantur. Litvania jam ante in partes distracta, longius a concordia aberat, cum qui Sapiehis infensi, tempus adesse rati, quo illorum potentiam minuerent, non defuturis in Polonia, qui in causam descensuri essent. Uterque exercitus Polonus & Litvanus, aliquot annos stipendia sua expectaverat, nullis ob irrita comitia post an. 1690. decretis tributis, ut solus Regni miles, triginta quatuor circiter florenorum milliones sibi deberi affirmaret. Conflabant, quod olim usitatum, in praesens autem minus opportunum, Poloni & Litvani seorsum foedus, his Oginscium magni Ducatus vexilliferum, illis Petr. Bogusl. Baranovium, praefectum, Mareschalci titulo, sibi creantibus: ut soluti Ducum imperio, civibus pecuniam & commeatum imperarent, donec de stipendiis transactum esset. Non mutavit consilium imminens a Turcis Tattarisque, bello adhuc durante, discrimen, in quos omnem vim vertere satius fuisset. His postea diversa Ordinum in regni canditatos accesserunt studia, jam tunc Abbate Poligniaco, legato Gallo, suspecto, quod electionem ad arbitrium sui Regis moderaturus esset (*). (*) ZA-

(*) ZALVS. II. 15. 20. 24. 42. 99. 102. 165. 170.

AVGVSTVS II. 1696.

§. II. Hic ſtatus erat Reipublicae, hi civium animi, cum undetriceſima Augusti a. 1696. Varſaviae convocationis comitia inciperent, quorum initio umbella Primati, Michaeli Radzejovio Cardinali, in templo & Senatorum conclavi ſuſpenſa, quod regium inſigne habebatur, offendit: quae in templo contradictione impugnata, in conclavi Senatorio amoveri debuit. Idem Primas turbavit conſilia, cum Steph. Humiecium, nuntiorum Mareſchalcum, verbis ejus, *inter abruptam contumaciam & deforme obſequium mediam viam non eſſe*, commotiór, interpellaſſet, quodnam illud deforme obſequium eſſet rogans. Tum enim nuntii in ſuo Mareſchalco ſe deſpectos credentes, praeter paucos, inter minas indignabundi in ſuum conclave diſceſſerunt, quo cum ſe aliquot Senatores conferrent, pro unis duo videri comitia poterant. Viceſimo Septembris, poſt Primatis excuſationem, & Reginae viduae Varſavia abitum, cujus praeſentiam multi minime ferre volebant, juncti iterum Ordines, quo tamen die, Horodinscius ex palatinatu Czernichovienſi, redemtus, ut ferebatur, ſexcentis nummis imperialibus, comitia ab-

AVGVSTVS II. 1696. rupit (*). Erat hoc primum exemplum convocationis per intercessionem irritae; nihilominus, ut per interregna fieri solet, intestina tranquillitas, ac Regis libera electio, comitiis hanc in rem, decima quinta Maji sequentis anni inchoandis, legibus firmabantur: addito, hostem patriae habendum, qui ex civibus regnum ambierit, aut civem in Regem commendaverit (*). Caeterum venerant in eadem comitia nomine foederati militis, stipendia ac alia postulantes: & cum paulo post, Litvanus exercitus, supremo ejus praefecto, Sapieha, summam aliquam pecuniae de suo erogante, ad officium rediret, ad Polonas copias, qui idem efficerent, ex Senatu & equestri ordine missi: quorum opera, post aliquot congressus Leopoli &
1697. Semboriae a. 1697. habitos, successu caruit, exercitu stipendia in palatinatibus vi se exacturum minante: contra quem Primas nobilitatem excitavit, ut tanquam publico hosti resisteret. Simul compositio iterum tentata, eo quidem exitu, ut praestita stipendiorum parte, ac venia actorum promissa, miles sub imperium Ducum rediret, & Baranovius Mareschalcus, undecima Maji Leopoli, in aede Bernhardinorum, ad pedes Jablonovii, supremi exercitus praefecti, se projiciens publice deprecaretur (***).

(*) ZA-

(*) ZALVSC. II. 75-108. 127.

(**) CONFOED. GENER. a. 1696.

(***) ZALVS. II. 90.95.97.191.195. 245. 325.

AVGVSTVS II. 1697.

§. III. Comitia eligendi Regis cauſa, die conſtituto an. 1697. in agro Varſavienſi coeperunt, quae ab ipſo initio disſenſionibus agitata, ut demum poſt menſem integrum, Mareſchalcus crearetur, munere hoc decima quinta Junii in Caſimirum Bielinium, Regni *Camerarium*, collato. Tum Litvani qui Sapiehis infenſi fervide egerunt, diſtrictis etiam in repugnantes acinacibus, ut jura Litvana & Polona, cum in aliis tum in conferendis exercitus praefecturis & ſupremis miniſteriis, horumque poteſtate coërcenda, coaequarentur, effeceruntque, ut quicquid eam in rem litteris conſignatum, nobilitatis Mareſchalcus, ſubſcripto nomine, probaret (*).

(*) ZALVSC. II. 335. 339. 347. 364. CONSTIT. T. V. p. 860. *edit. nov.*

§. IV. Abſumtis per contentiones, non ſine mutua acerbitate, quinque circiter hebdomadibus, Ordines electioni novi Principis ſe accingebant. Competitores erant, Jacobus Sobieſcius, defuncti Regis filius maximus, Franciſcus Ludovicus Contius, Regii in Gallia ſanguinis, Caro-

AVGV-STVS II. 1697. Carolus Neoburgicus Palatini Electoris frater, Leopoldus Dux Lotharingiae, Odescalchius Papae Innocentii XII. consanguineus. His nonnulli Bavariae Electorem adjiciebant, qui se tamen candidatum professus non est. Praeferebantur Sobiescius & Contius, illo, quinque milliones; Cameneci recuperationem; pro redimendis captivis quovis anno centum florenorum millia; remissionem mediae partis sumtuum in fodinas salis; stipendium militis praetoriani ex reditibus regiis; scholam militarem; restauratis veteribus, nova in finibus munimenta: hoc, praeter Camenecum & alia amissa, decem milliones, monetae & commerciorum instaurationem, promittente. Multo tamen validiores Contianae erant partes, tantaque Polignaci Abbatis, Regis Galliae legati, fiducia, ut rem fere pro confecta haberet. Plurimis autem neuter placebat, & illorum qui alterutri suffragia destinaverant, non pauci tertium maluissent, diversum ab iis, qui regnum prensarent. Contigit is, provisus a nemine, opportunus tamen, in Friderico Augusto Saxoniae Electore, amoto ex religione impedimento, cum pro Lutherana Catholicam amplexus esset. Legatus ejus erat, Jac. Henr. Flemmingius, Principis a cubiculo & tribunus militaris, qui licet ultimus venisset,

nisset, injunctum sibi negotium, a Castellano Culmensi, Jo. Georg. Prebendovio, affine suo naviter adjutus, ante omnes perfecit. Auditi Nuntius Papae Davia, & Caesaris orator, Lambergius Episcopus Passaviensis, quorum ille religionem, hic Jacobum Sobiescium commendavit. Reliqui legati non admissi, sive ob temporis angustias, sive quod Gallus metu alicujus contumeliae sponte campo abstinuerit, ejusque amici effecerint, ut aliis brevioris spatii obtentu negaretur, quo ille uti noluerat. Conditiones tamen, quibus regnum candidati petebant, litteris vulgatae, advertitque animos Saxoniae Elector, decem milliones; Cameneci suis copiis expugnationem; Podoliam, Ucrainam integram, Moldaviam, Valachiam, & quicquid praeter has amissum; Ordinibus ob pericula exigentibus, sex militum millia suis stipendiis, aut pro militibus pecuniam; monetam ex publico commodo ordinandam; commercia ampliora; scholam artium militarium pro nobilibus; & alia quae munitionibus & rei bellicae profutura pollicitus (*).

AVGVSTVS II. 1697.

(*) ZALVSC. II. 344-360. LVNIG. *Theat. cerem.* T. II. p. 25-33.

§. V. Vicesima sexta Junii, qua confici debuit electio, Primas de sua integrita-

te

AVGV-STVS II. 1697.

te praefatus, irae divinae se devovens, si secus egerit, legatos qui non auditi, temporis penuria excusat, ac candidatos domum Regiam, Principem Contium, Electorem Bavariae, Comitem Palatinum Neoburgicum, Ducem Lotharingiae recenset, quibus, Odescalchio omisso, Saxoniae Electorem addit, si Catholicus fuerit. Post hymnum *veni creator* & sollemnem precationem, itur in suffragia, quae pro Saxoniae Electore, Jacobo Sobiescio & Contio expediuntur, ita ut maximum numerum Contius referret, illum Elector, hunc Sobiescius, sed Electore multo inferior, exciperet. Disceditur in partes & Contiani seorsum, reliqui in altero loco una consistunt. Tum priores multitudini confisi urgent, ut candidatus suus Rex declaretur, quod Primas spe majoris concordiae in sequentem diem differt: quo intervallo auctae admodum Saxonicae partes, cum non tantum Sobiesciani se iis junxissent, sed etiam Contianorum plurimi nocte ad eas transiissent. Tentatur animorum consensio, & ne pro uno duo Reges creentur, Ludovicus Badensis Marchio & alii, ab omnibus eligendi, frustra offeruntur. Primas enim illo die, contradicentibus Saxonicis, Contium, & post illum, Episcopus Cujaviensis, Stan. Dambscius, Electorem Fridericum Augustum, oblo-

obloquente nemine, Regem renunciat (*). Postridie ad Saxonicos in campum, electi Regis legatus, Flemmingius, deducitur, qui cum exhibito Nuncii summi Pontificis testimonio, Principem vere esse catholicum probasset, conditionesque quibus regnum petierat, distribuisset, circumeundo singulis palatinatibus, quod sua suffragia contulerint, gratias agit, faustis acclamationibus ac scloporum displosionibus redditis. Scribuntur pacta conventa, in quae Flemmingius pro Rege jurat, quibusque Rex, cum ad ea quae Reipublicae obtulit, tum ad colenda regni jura quaeque superiores Principes promiserant, obstringitur: additis, ne uni familiae duo suprema ministeria conferantur; ut coaequata Polonorum & Litvanorum jura servet; foederato antea utriusque gentis exercitui promissam actorum veniam publica lege firmari curet; bona mensae Regiae oppignerata redimere ipsi liceat; & ne Judaeis ejusmodi bona aut telonia locari permittat (**).

AVGVSTVS II. 1697.

(*) ZALVSC. II. 364-367. 364. LVNIG. *Theat. cerem.* T. II. p. 34. 36. CONSTIT. T. V. p. 978. tit. *Osnaymienie.*

(**) ZALVSC. II. 383. LVNIG. *Theat. cerem.* T. II. p. 37-39. CONSTIT. a. 1699. tit. *Articuli pactorum.*

§. VI. Rex Tarnovici in finibus Silesiae,

AVGVSTVS II. 1697.

ſiae, publica legatione, cujus princeps Jo. Jablonovius Palatinus Volhiniae, Caſtellani Cracovienſis filius, invitatus, viceſima ſexta Julii in palatinatum Cracovienſem perrexit, exercitum octo millium ex Ordinum conſilio adducens, quo vim adverſariorum reprimeret. In vico Picari, pactis conventis ante jurejurando firmatis, & ſacra coena e manibus Epiſcopi Samogitiae recepta, diploma electionis, ab Epiſcopo Cujavienſi & Caſtellano Cracovienſi ſubſcriptum, ipſi exhibitum: tum in Lobſovia aliquot dies ſubſiſtit, donec octava Auguſti ſe in arcem Cracovienſem conferret, diem decimam quintam Septembris inaugurationi conſtitutam ibidem exſpectaturus (*). Inter haec, qui Contium elegerant, quorumque caput Primas erat, candidatum ſuum non deſtituebant, ita tamen ut de jure ejus dubitare viderentur, cum illud in novo ſub Varſaviam die viceſima ſexta Auguſti inchoando conventu firmare vellent. Antea Rex cum iis per Caſtellanum Culmenſem Prebendovium & Regni Mareſchalcum Lubomirium, Brandenburgici Electoris legato, Hoverbeckio, conciliatore, Varſaviae egit, qui tum demum ſe acceſſuros promittebant, ſi irritis omnibus, Rex iterum a Primate renunciaretur, ac nova pacta conventa, novumque electionis diploma

ma ſcriberetur. Conditionibus his, quod infra Regis majeſtatem erant, rejectis, partes ejus nihilominus in dies augebantur, ut novus prope Varſaviam conventus minus frequens eſſet. Ibi, quaſi de religione & libertate actum eſſet, pro tuenda utraque foedus, cui nomen *Rokoſz* inditum, Mareſchalco, Steph. Humiecio, contrahitur, & quicunque illud non amplexuri, publici hoſtes declarantur (**).

AVGVSTVS II. 1697.

(*) ZALVS. II. 447. LVNIG. *Theat. cerem.* T. II. p. 32. 39. 42.

(**) ZALVSC. II. 398. 402. 405. 406. 416. 422

§. VII. Ne tamen *Rokoſziani*, hoc enim vocabulo novos foederatos appellabimus, a concordia prorſus averſi viderentur, ad eam viam patere oſtendebant, ſi inauguratio differretur: quod cum Regis rationibus minus conveniret, tradita Ipſi fuerunt decima quinta Septembris Cracoviae ſollemni more, ab Epiſcopo Cujavienſi regni inſignia, cum antea Joanni III. juſta fuiſſent perſoluta, corpore quamvis abſente, quod Varſaviae a *Rokoſzianis* ſervabatur. Ita Auguſtus II. regimen ingreſſus, quod ſecundis dubiisque temporibus varia fortuna geſſit, ac pace domeſtica & externa firmata finiit (*). Secuta comitia decima ſeptima, in quibus pacta conventa, ut publice legerentur,

AVGVSTVS II. 1697.

magna contentione poſtulata, quae tamen exhiberi non poterant, quod relicta in arce Varſavienſi, quae in poteſtatem adverſariorum venerat. Deinde Regi facultas evocandi ad arma nobilitatem conceſſa, & recens jurium Polonorum & Lituanorum aequatio firmata. Reliqua quae decernenda ad proxima comitia differre placuit, quo receptis hoc ſpatio in fidem *Rokoſzianis*, ab omnibus in commune conſuleretur (**). Hi vero, ac ſi Rege inaugurato, ad Rempublicam ſine libertatis diſpendio reditus non eſſet, arma parabant, erigebanturque eorum animi, Contio prope Gedanum in Olivenſis monaſterii vicinia, fine Septembris appulſo. Profectus enim ſeptima illius menſis ex portu Dunkerquiano in Flandria cum ſeptem navibus bellicis minoribus, quibus Bartius, celebre tum per excurſiones maritimas nomen, praeerat, anxie expectatus advenit, & adventu nuntiato, Gallicus legatus Polignacus & Senatores ac nobiles advolarunt, ſalutato Principe ſuo conſultaturi, quomodo regno cui eum deſtinaverant, potiretur. Sed deſperabatur ſucceſſus, cum Contius inſtructum exercitum, cui potiſſimum confiſus, non inveniret, & Poloni pecuniam fruſtra exigerent, qua copiae Lituanae pellicerentur, ac novae ſcriberentur, partiumque ſtudium

dium incenderetur. Rebus etiam conducere videbatur, si Princeps relictis navibus, Mariaeburgum se aut Lovicium conferret, ut addictos sibi contraheret; & si nullibi in Polonia subsistere daretur, ultimum perfugium Camenecum ostentabatur, quasi ex Turcico munimento Augustus II. & respublica debellari possent. Sed abrumpebantur consultationes, cum Palatinus Inovroclaviensis, Galecius, Flemmingius & Brandius valida Polonorum & Saxonum manu adventarent. Abiit enim, nona Novembris Contius, cum legato Gallico, & Poloni, praeter eos, qui intercepti, ad sua redierunt: aegris utrinque animis, illo sibi illusum, his despectos se querentibus. Gedanensibus vero Contii adventus non leve damnum attulit, nam cum praeter alia, nautis & classiariis male habitis erga Regem Galliae minus reverenter egisse, ac in legati supellectile & domesticis gentium jus temerasse arguerentur, non tantum eorum naves in Gallicis portibus detentae, ac quae in mari, instar hostium captae, sed etiam in discessu quatuor cum mercibus abductae, quas tamen Rex Daniae in freto suo detinuit, ut Rege Franciae placato, Gedanensibus restituerentur. Id quidem an. 1700. factum, quo civitas missis in Galliam, qui deprecarentur, cum Regis gratia & anti-

AVGVSTVS II. 1697.

AVGVSTVS II. qua negotiandi facultate, naves & merces obtinuit (***).

1697.

(*) ZALVSC. II. 420. 437. LVNIG. *Theat. cerem.* T.II. p. 43-45.

(**) ZALVS. II. 438-445. CONSTIT. a. 1697.

(***) ZALVS. II. 426. 449. 472. PARTHENAY *Hist. Aug. II.* T. I. p. 188-215.

§. VIII. Aemulo ſuo liberatus Auguſtus II. in *Rokoſzianos* intendit animum, ut eos clementia & liberalitate ad obſequium flecteret. Hi, relicta Varſavia, conſilia ſua Lovicium, quo Primas diſceſſerat, transtulerant; & quamvis poſt Contii abitum eorum numerus imminutus, ſupererant tamen, qui libertatis tuendae ſpecie, inteſtinam pacem turbare potuiſſent. Hoc malum ut Rex compoſitione averteret, ac ideo Lovicio propinquior eſſet, Cracovia Varſaviam profectus, quam quinta decima Januarii a. 1698. ſplendido apparatu introiit. Miſſi menſe Februario Lovicium ad *Rokoſzianorum* congreſſum, ſupremus Regni Mareſchalcus Lubomirius, & Lituaniae Theſaurarius, Sapieha, legato Brandenburgico Hoverbekio conciliatore, id effecerunt, ut quicunque ex minori Polonia & majoris Poloniae palatinatibus, Siradienſi, Lencicienſi, & Ravenſi, praeter Archiepiſcopum Leopolienſem, Palatinum Kiovienſem & Caſtellanos Siradien-

1698.

ſem

ſem ac Lencicienſem, foederi addicti, ab eo recederent: cum quibus in oppido Blonie quatuor milliaria Varſavia, ſecunda Martii ita transactum, ut de libera electione & aliis juribus firmandis; de pactis conventis, ſi quid in illis legibus & conſuetudini adverſum, corrigendis; exercitu Saxonico, quam primum per concordiam inteſtinam ſecuritas reddita, ex Regno deducendo; ac damnis ab eo illatis ſarciendis, ſecuri redderentur. Poſt compoſitionem, quarta Martii Regem Varſaviae coram venerati, Epiſcopo Kiovienſi Svencicio nomine Senatorum, Laſzczio Graboviecenſi praefecto pro nobilibus, verba faciente. Reliqui ergo erant ex *Rokoſzianis* praeter Primatem & paulo ante memoratos Senatores, ex binis palatinatibus Posnanienſi & Caliſſienſi nobiles, qui caeterorum exemplum ſequi ideo in aliud tempus diſtulerunt, quod Gruſzcynius, unus ex eorum numero, ad proxima comitia in jus vocatus fuerat (*).

AVGVSTVS II. 1698.

(*) ZALVS. II.480.499.502.509.524.546.550.

§. IX. Antequam illi caeteris civibus adjungerentur, Rex Martio menſe in Pruſſiam excurrit, ubi Thorunium, Mariaeburgum, Gedanum inviſit: poſt cujus Varſaviam reditum, decima ſexta Aprilis inchoata comitia, ipſo primordio, ſex

AVGVSTVS II. 1698. nunciis intercedentibus, abrupta ſunt. Melius ſucceſſit negotium cum Primate & ei junctis *Rokoſzianis*, cujus cauſa Papa nuntium extraordinarium miſit, qui una cum ordinario arbitri partes ſuſciperet. Habitus menſe Majo iterum Lovicii congreſſus, quo a Rege Kiovienſis Epiſcopus Svencicius & Lituaniae Procancellarius, Radzivilius, venerunt. Intra paucos dies iisdem fere conditionibus, quibus nuper in Blonienſi oppido, transactum, niſi quod Primatis habita ratio, pecunias ſibi paciſcentis. Salutavit is Regem viceſima ſecunda Maji Varſaviae, ac ipſi fidem ſuam obſtrinxit. Diſſoluto hoc modo *Rokoſzianorum* foedere, Rex fine illius menſis in Brandenburgicam Pruſſiam, Johannisburgum abiit, ac ab Electore epulis & venatione exceptus, poſt paucos dies revertit (*). Poſt Varſaviae Regis & Electoris nomine, in pacta Velavienſia & Brombergenſia juratum, ac jus fiduciarium, quo Elector tractus Lauenburgenſem & Butavienſem tenebat, diplomate firmatum eſt.

(*) ZALVSC. II. 514. 518. 519. 542. 551. 557. 562. ſ. 568. 579.

§. X. Reſtituta inter Polonos concordia, diſſenſiones in Lituania fervebant, quae Joannis III. tempore coeperant, cum

Sapie-

Sapiehanae domus auctoritas multis praegravis esse videretur. Duae jam in magno Ducatu erant partes, alterae nobilitatis alterae Sapiehanae, quarum illae sub Gregorio Oginscio, Vexillifero antea Litvaniae, hoc anno Samogitiae praefecto, campestria comitia flagitabant: quasi intestino malo non nisi extraordinarium hoc remedium adhiberi posset. Imo res ad arma & mutuas clades deducebatur, aegre ferente Rege, domesticum excitari bellum, cum vires in Turcos jungendae essent. Compositio quidem vicesima secunda Julii Varsaviae secuta, sed eodem die Dapifer Lituaniae, Georg. Sapieha, supremi militiae Lituanae praefecti filius, Oginscium prope Jurburgum in Samogitia profligavit; cujus strage non minus, quam quod sine suo consensu iniquis, ut credebat, conditionibus transactum, irritata nobilitas, in conventu Vilnensi ad decimam quartam Augusti, a Mich. Casim. Kocielo, Castellano Vitepscensi, qui palatinatuum supremus Tribunus, vulgo Generalis Colonellus audiebat, indicto, compositionem Varsaviensem irritam declaravit, sanxitque, ut omnes decima quinta Octobris prope Grodnam armati adessent, quo exercitus, qui Sapiehis parebat, vi adigi posset, ut stipendiis numeratis militia se exsolueret: nec minus placuit, illata

AVGVSTVS II. 1698.

AVGVSTVS II. 1698. ta damna in auctoribus vindicare, ac coaequata in electionis comitiis Polona & Litvana jura, tum novam tribunalium ordinationem, tueri (*). Cum haec a nobilitate decernerentur, exercitus Lituanus sub utroque Duce jam moverat, Turcicae expeditioni intersuturus, in quam Polonae copiae & Saxonicae, quarum hae viginti circiter millium, contractae. Rex, quo triplicem istum exercitum ipse in hostem duceret, Varsavia vicesima secunda Julii profectus, Ravae in Belzensi palatinatu obvium habuit Moscorum Czarum Petrum, ob seditionem in regnum suum Vienna festinantem: ubi triduo conviviis & colloquiis secretioribus transacto, arctior illa amicitia instituta, quae publicis postea foederibus firmata & in Successoribus duravit. Decima sexta Augusti Rex Leopolim introiit, copiis circa hanc urbem confluentibus, quae Brzezanios progressae tribus castris constiterunt. Felix Potocius, Palatinus Cracoviensis & exercitus Poloni minor Dux, ad Podhaiecios cum sex millibus metabatur, qui octava & nona Septembris, vim sexaginta millium Tattarorum fortiter sustinuit, ut multis suorum amissis, & praeda, quam alibi egerant, igne corrupta, in Pocutiam mox Camenecum recederent. Ad nuncium Tattaros Palatinum Cracoviensem esse aggres-

aggreſſos, Rex Leopoli in caſtra Polona prope Brzezanios venit, praelio certaturus ſi copia daretur. Sed cum hoſtis in agro Camenecenſi haereret, & in eum ire ob anni tempus, commeatus inopiam, & ſimultates inter Polonos & Saxones jam non obſcuras, minus opportunum videretur, turbae autem Lituanae Regis praeſentiam requirerent, exercitus initio Octobris in hiberna dimittebantur. Antea Rex Polonas & Lituanas copias ſingulas ſeorſum luſtravit, perplacuitque praeſertim equitatus, cultu, armis, equis, ad ſplendorem usque inſtructus: & abſens in caſtris Lituanis graviter offenſus, cum in Polonis Prebendovius, Mariaeburgenſis Palatinus, miniſter ex intimis & familiaris, a Craſnoſtavienſi praefecto, Palatini Cracovienſis filio ebrio, durioribus verbis, manu etiam intentata, laceſſeretur, ut contumeliam hanc ſuam habens Rex, ad Saxones, tentoriis ad eos translatis, diverteret, ac in exercitum Polonum vindictam meditaretur. Sed exoratus, patratum facinus judicio militari permiſit (**).

AVGVSTVS II. 1698.

(*) ZALVSC. II. 511. 548. 559. ſ. 597. ſ. 608-621.

(**) ZALVSC. II. 593. 598. 601. ſ. 621. ſ. 632. 638.

§. XI. Reverſus ex caſtris quarta Octobris Leopolim, accipit, Electorem Brandenburgicum, Elbingae deditionem

AVGVSTVS II. 1698. imperasse. Erat huic Principi in civitatem vetus jus ex pactis Brombergensibus, quibus Patri Friderico Wilhelmo concessum, ut eam veluti pignus teneret, donec quadringenta imperialium nummorum millia praestarentur. Sed neque civitas fuit tradita, neque pecunia soluta, licet Fridericus Wilhelmus centum millia remitteret, ut tandem filius, post quadraginta fere annorum moram, Regibus & Republica ea de re saepius frustra appellatis, possessionem sibi vindicaret. Decima quarta Octobris ante primam lucem, militaris Dux Brandius copias urbi admovebat, ac deditione nequicquam postulata, spatium aliquot dierum concedebat, ut interea de illo negotio ad Regem & Electorem nuncii mitterentur. Redux ultima Octobris, cum majori militum numero ab oppido Hollandino, quo recesserat, Brandius, novam moram ad duodecimam Novembris permisit, quo tempore, quicquid ad obsidionem necessarium advehebatur, ut ante constitutum diem duodequinquaginta tormenta & duodecim mortaria in suggestis starent, & civitas, cum ad impetum faciendum parata essent omnia, metu praesentis mali, auxilii spe nulla, decima Novembris, quia Brandius duodecimam expectare nolebat, deditionem subiret (*). Antequam Elbinga

in

in poteſtatem Electoris Brandenburgici conceſſiſſet, Rex Varſaviam ad Senatus conſilium feſtinabat, in quo, civitate interea occupata, decernitur, ut negotio hoc ad externos Principes pacis Olivenſis ſponſores relato, cum Electore compoſitio ante arma tentetur (**). AVGVSTVS II. 1698.

(*) ZALVSC. II. 644-651. 654-672.

(**) ZALVSC. II. 673. 702.

§. XII. Prius Lituani motus, non quidem plane ſedantur, in aliud tamen tempus, gravius erupturi, proferuntur. Confluxerat nobilitas prope Grodnam, ad efficienda quae nuper in Vilnenſi conventu ſancita, & exercitus ab expeditione Turcica redux haud longe metabatur, ne exauctoraretur proviſurus: quod eo ardentius flagitabat nobilitas, quia Sapiehis addictior, horum poteſtatem fulciebat. Ingreſſus eodem tempore magnum hunc Ducatum, cum parte copiarum Saxonicarum pro hibernis Flemmingius, concordiam commendare non omiſit, quam ut reſtitueret, Rex duodeviceſima Novembris Varſavia in Lituaniam profectus. Occurrit ei in via Grodnam verſus Flemmingius, ſe & Epiſcopo Vilnenſi, Brzoſtovio, arbitris, decima ſeptima Decembris transactum eſſe referens, his potiſſimum conditionibus, ut reliquis copiis ſtatim dimiſſis,

AVGVSTVS II. 1698. ſis, bis mille ducenti nonaginta pedites, mille centum quadraginta dimachae, & pauci more Hungarico militantium retinerentur; omnes ſtipendia debita, ad unius anni mercedem redacta, acciperent; de ſcribendo novo exercitu in futuris comitiis conſultaretur; ac Ducum poteſtas aliaque, ad jura Polonis aequata exercerentur (*).

(*) ZALVSC. II. 709-723.

X

§. XIII. Fuit parum ſtabilis reſtituta, ut videbatur, Lituana tranquillitas, magis firma pax, Carolivici in Sirmenſi Sclavoniae tractu, viceſima ſexta Januarii anno
1699. 1699. cum Turcis confecta. Coeperat de illa inter foederatos Principes & communem hoſtem anno ſuperiore agi, Regis magnae Britanniae & Belgarum legatis conciliatoribus: adfueratque Poloniae nomine Palatinus Poſnanienſis Stanislaus Malachovius, cujus praecipua cura, ut omne illud quod Michaelis tempore amiſſum reſtitueretur. Nec fruſtra ab eo laboratum: Ottomannidae enim Camenecο & quicquid in Podolia & Ucraina tenebant, nullum ſibi in Coſacos imperium vindicaturi, ceſſerunt: repetito, quod jam olim ſaepius promiſſum, Polonorum terras incurſionibus & rapinis Tattarorum haud infeſtatum iri. Vix tamen hae

ac

ac aliae minoris momenti conditiones convenerant, cum Tattari Ruſſiam popularentur, Turcis facinus excuſantibus, quod legatus pacem ſubſcribere tardaſſet; captivi tamen dimiſſi ac in auctores incurſionis animadverſum (*). AVGVSTVS II. 1699.

(*) ZALVS. II. 698. 740. 665-768. ZINCKII *collect. foederum* part. III. p. 1173. SCHMAVSII *Corp. jur. gent. acad.* T. II. p. 1133.

§. XIV. Domeſticae quieti, in comitiis decima ſexta Junii inchoatis proſpectum, quibus ea de cauſa pacificationis nomen eſt. Regis enim imperium, Religio & jura publica lege roborata, & copias Saxonicas, quarum preſentia animos commoverat, ex regno deducere promisſum. Diploma electionis a Primate & nunciorum Mareſchalco ſubſcriptum ac pacta conventa conſtitutionibus inſerta, ne quis de civium conſenſu, aut conditionibus, quibus Princeps regimen ſuſcepit, dubitaret. Dies, quo ſtipendia debita praeſtarentur, decretus, & foedera militaria vetita: neque Elbinga ſilentio transmiſſa, de qua cum Brandenburgico Electore amice agere placuit (*). Menſe Auguſto Rex in Saxoniam profectus, quo abſente, Varſaviae Primate praeſide, cum Electoris legatis de Elbingenſi controverſia congreſſus habiti, qui per diſſenſionem inter-

AVGVSTVS II. 1700. interrupti, dein repetiti, duodecima Decembris finem novo pacto ſortiebantur. Elector enim Elbingam, omni in civitatem ex pignore jure abolito, prima Februarii ſequentis anni reddere ſpopondit, cui viciſſim trecenta imperialium millia, trium menſium, poſt prima comitia, ſpatio, Varſaviae numeranda, ac in ſummae hujus ſecuritatem gemmae aliquot ex Regni theſauro promiſſae: addita facultate, ut ſi pecunia conſtituto tempore non repraeſentaretur, ipſi liceret agrum Elbingenſem occupare eundemque cum gemmis tenere, donec ſoluta eſſet. Conſtituto die a. 1700. dum excedit praeſidium, civitas iis, quibus id negotii mandatum, & inter quos primus Epiſcopus Varmienſis, Andr. Zaluſcius, a legatis Electoris traditur, qui viciſſim promiſſas gemmas recipiunt (**). Tum civitas ſe obſtrinxit in ſummam Electori ſolvendam, quinquaginta nummorum imperialium millia conferre; praeſidium trecentorum peditum & triginta equitum, ſub praefecto ſtrenuo & militia bono parare, illudque urgente periculo ad duo millia augere; Rege, Republica, & Ordinibus Pruſſiae inſciis deditionem haud facere; ac majorem quam antea religionis Catholicae rationem habere (***).

(*) CONSTIT. a. 1699. p. 1. ſ. 27. 29. 31. 32. 37. ZALVSC. II. 724-729. 883.

(**) ZA-

(**) ZALVSC. II. 888-899. ZINK. *collect. foeder.* part. IV. p. 449. LAMBERTI *Comment.* T. I. p. 92. SCHMAVSII *Corp. jur. gent.* T. II. p. 1137.

AVGVSTVS II, 1700.

(***) ZALVSC. II. 902. LAMBERTI T. I. p. 92.

§. XV. Eodem anno, quo Elbinga ſine armis recepta, bellum coepit, Poloniae poſt multas clades paene exitioſum, quod neque externum neque civile diceres, ſed ex utroque mixtum. Rex jurisjurandi memor, quo amiſſa quaecunque recuperare obſtrictus, vertit animum in Livoniam, olim in Polonorum, tum in Svecorum ditione, provinciam. Tempus, quale nunquam opportuniſſimum, Rege Sveciae Carolo XII. duodeviginti annorum juvene, regnandi & militarium artium per aetatem rudi, & cui bello Danico diſtracto, aliud a Moſcis imminebat. In Livonia modica praeſidia, aegri incolarum animi, & ex pacis fiducia ſecuritas, unde Patculius, celebre ea tempeſtate & infelix nomen, transfugerat, ut Regi faciles ſucceſſus, avidos novarum rerum cives, & in ejus imperium pronos perſuaderet. Neque cauſae, quibus arma provocata, deerant: pax Olivenſis non uno modo laeſa; molimina adverſus liberam in Polonia Regum electionem; vis & damna Duci Curlandiae, Principi clienti illata, commercia

AVGVSTVS II. 1700.

mercia mari turbata, ac in ejus injuriam, fines Livoniae extenſi; Livoni juribus ſuis exuti & dure habiti; navigatio portum Polangenſem verſus impedita; tranſitus Hornii a. 1678. inſcio Rege & Republica per Samogitiam in Brandenburgicam Pruſſiam & damna in itinere facta; nova telonia inſtituta, & Rex Daniae foederatus armis petitus. Non retulit Rex de bello ad Ordines, ne vulgaretur res, ad cujus primum ſucceſſum magnum momentum allatum iri credebatur, ſi lateret. Conſulti tamen qui in aula Senatores, & inter hos Primas, probarunt, neque de conſenſu Reipublicae dubitatum, modo initia ex ſententia evenirent. Februario menſe, Flemmingius copiarum Saxonicarum Dux, cum octo circiter millibus, laceſſitus a Svecis, Livoniam ingreditur; Rigam obſidet; Coberenſe munimentum expugnat, & aliud propugnaculum ad Dunae oſtium, cui Dunamundae nomen, viceſima quinta Martii ad deditionem ſubigit, cum poſt primum impetum rejectus, alterum pararet (*). Poſtea Flemmingius Varſaviam redit, copiis ad Rigam relictis, quae, cum urbi Sveci ſubveniunt, cis Dunam ſe recipiunt, & prope hoc flumen in munitis caſtris auxilia opperiuntur. Aderat cum illis ipſe Rex, qui exercitum duodecim millium

millium trans flumen duxit, ac Vellingium, cui decem millia erant, post binos congressus cedere coëgit. Tum Riga iterum obsidione cincta, quam Rex modico pilarum igniariarum & candentium globorum numero immisso, Septembri solvit, Kokenhusum autem, ductu Steinavii summi militiae praefecti, post strenuam defensionem, honesto praesidiariis concesso abitu, die octava Octobris deditione cepit. Dein Vellingium certaturus frustra secutus, copias cis Dunam per Curlandiam & Lituaniam in hibernis locavit (**). AVGVSTVS II. 1700.

(*) LIVONICA Fasc. I. p. 3-50. Fasc. II. p. 24. s. LAMBERTI *Comment.* T. 1. p. 64-66. s. COMMENT. *de ultimis in Polonia motibus* p. 7-9.

(**) LIVON. Fasc. I. p. 53. Fasc. IV. p. 23. 52. PARTHENAY *Hist. Aug. II.* T. II. p. 126-136.

§. XVI. Interea turbari iterum Litvania, odio inter Sapiehas eorumque adversarios, quod conditionibus tolli non potuerat, gliscente. Illi enim imminutam auctoritatem tum alia aegre ferentes, praesens auxilium a solis armis sperabant: quibus juncti contra eos Lituani, multa atrocia, quae admisissent, objiciebant. Accidit, ut ardente bello Livonia, nobilitas Lituana adversus exteram & domesticam vim armata conflueret, sibique su-

AVGVSTVS II. 1700. premum praefectum, Michaelem Principem Wiſnioviecium imponeret. Sapiehae parari vim in ſe rati, cum amicis, clientibus, ac militibus, ut novem circiter millium eſſet exercitus, ad Vilnam conſederunt, Lituana nobilitate viginti millium Olkinukos, ſeptem inde milliaria, decima tertia Novembris adveniente: cum miſſus a Rege Referendarius Regni Jo. Szembeck fruſtra de concordia egiſſet; poſt quem eandem operam Vilnenſis Epiſcopus, Brzoſtovius, nullo ſucceſſu ſuſcepit. Morae enim impatientes Sapiehae, motis caſtris, primi pabulatores Lituanos aggreſſi, ac duodeviceſima Novembris ad Lepuni vicum, haud longe Olkinukis acris pugna ſecuta, qua cincti undique Sapiehae plane profligati fuerunt. Palatinum Vilnenſem, ſupremum Mareſchalcum, & Theſaurarium fuga ſervavit, ſtabuli autem praefectus, Michael, Palatini filius, caeteris fuſis, cum mille & quingentis equitibus vim adverſariorum ſuſtinens, nulla jam ſalutis ſpe deditionem fecit, ſequenti die ab exacerbata in ejus domum nobilitate, Vilnenſi Epiſcopo & Principe Wisnioviecio nequicquam prohibentibus, multis vulneribus trucidatus (*). Poſt hanc victoriam Lituani ad Olkinukos conſiſtentes, foedus pro externa & inteſtina tranquillitate ſuisque juribus firmant;

Prin-

Principi Wisniowiecio praefecturam generalem in biennium prorogant; exercitum ejusque stipendia ordinant; Sapiehas & quidem Palatinum Vilnensem ejusque filios, Dapiferum & supremum Mareschalcum, tum Palatini fratrem Thesaurarium, cum filio Notario castrensi, muneribus & bonis exutos, publicos hostes proscribunt; ac praeter haec alia sanciunt (**). AVGVSTVS II. 1700.

(*) LIVON. Fasc. V. p. 4-8. ZALVS. II. 923-927.

(**) STATVT. *gener. Ord. Litvaniae.* CONSTIT. T. VI. edit. nov. ZALVS. II. 933-946.

§. XVII. Rebus suis afflictis & paene perditis, Sapiehae ad Regis tutelam confugiunt, quare tempore comitiorum, mense Majo a. 1701. praeter Primatem, nonnullis ex Senatu & nobilitate injungitur, ut pacificatorum partes suscipiant: qui dum auctores sunt, ut bonis restitutis, de dignitatibus & muneribus, quibus exuti Sapiehae, in proximis comitiis disceptetur, Lituani autem omnem rem suis Ordinibus integram servant, nihil constituitur. Celebratur Octobri Lituanorum conventus Grodnae, Regis nomine magni Ducatus Procancellario, Stan. Szczuka, & pro Sapiehis, Palatino Siradiensi, Joanne Pienianzeck, & Succamerario Chelmensi, Romanovio, praesentibus. Scribuntur conditiones, quibus Sapiehana domus 1701.

AVGVSTVS II. 1701.

mus in bona, honores & munia restituenda, quasque probaturos se Lituani spondent, si damnis publicis & privatis compensatis, munia intra angustiores terminos coërceantur, simul Sapiehas incusant, Svecos in suum auxilium evocasse (*). Decima septima Januarii a. 1702. in comitiis ita transactum, ut ad legum & jurium aequatorum normam, Sapiehis pristinus status reddatur, nonnullis controversiis judicibus & arbitris permissis. Fuit tamen haec compositio, cujus sponsores Rex, regni Ordines, & Poloni exercitus Duces exstiterunt, irrita, Sapiehis, postquam questi bona sua igne & ferro vastari, neque exercitum Palatini Vilnensis, qua supremi Ducis, potestati permitti, partes Regis Sveciae aperte amplectentibus (**).

(*) ZALVS. III. 43. 52. 93. 97. 99.

(**) ZALVS. III. 149. 157. 202. LAMBERTI *Comment.* T. II. p. 23.

§. XVIII. Redimus ad ea, quae conventionem Sapiehanam praecesserunt, quorum, si temporis ordinem sequimur, primum est, Electoris Brandenburgici Friderici III. regia inauguratio. Is enim, ut pro Duce Prussiae, quo titulo Ipse & Majores usi, Rex haberetur, duodevicesima Januarii a. 1701. Regiomonte, cum ipse sibi & uxori diadema imposuisset, a

suo

ſuo Epiſcopo, Urſino, in Regem ungebatur. Turbavit res haec Polonos, ne juribus ſuis officeret metuentes, quamvis novus Rex jam proximo anno litteris declaraſſet, ſalva fore Velavienſia & Brombergenſia pacta, dignitatemque Regiam nullum periculum Pruſſiae Polonae allaturam eſſe. Peracta inauguratione, Chriſtoph. Vallenrodius, Comes, Pruſſiae Brandenburgicae Mareſchalcus, Varſaviam legatus venit, ut novam dignitatem Regi nunciaret, qui auditus dimiſſusque, aulicis ſaltem Saxonicis, nullis ex Miniſtris Polonis praeſentibus. Gratulationis officium, Regis, non Reipublicae nomine, Chriſtoph. Tovianſcius, Regni Pocillator Regiomonte reddidit, cui praeter priorem & nova ſponſio exhibita, qua juribus, pactis ac praeſenti rerum conditioni, adverſus quaevis incommoda proviſum (*). AVGVSTVS II. 1701.

(*) ZALVS. III. 1. ſ. 4. 6. 7. 14. ſ. 26. ſ. 127. LAMBERTI *Comment.* T. I. 381. ſ.

§. XIX. Major neque vanus a Rege Sveciae metus erat, qui poſt memorabilem de Moſcis ad Narvam triceſimo Novembris a. 1700. victoriam, arma in Poloniam vertere conſtituerat. Hujus conſiliis ut occurreretur, Auguſtus Februario a. 1701. cum Czaro Moſcorum Birzas in Samogitia congreſſus, ubi inter utrumque Principem

AVGVSTVS II. 1701.

cipem semotis arbitris colloquia habita, & palam de foedere contra communem hostem ineundo jactum fuit (*). Secuta tricesima Maji Varsaviae comitia, ut de propulsando, quod finibus imminebat, bello consultaretur, nullo tamen successu, comitiis ante Mareschalci electionem dissolutis (**). Inter quae Rex Sveciae Carolus XII. exercitum suum per Livoniam Rigam duxit, ac undevicesima Julii Dunam navigiis trajiciens, cis fluvium aciem Saxonum sub Steinavio, post acrem & dubiam trium horarum pugnam, in fugam egit. Post quam cladem munimentum Coberense & Kokenhusum sponte deserta, propugnaculum autem ad Dunae ostium, quod eodem tempore cinctum, ad diem vicesimam primam Decembris obsidionem sustinuit, qua facta deditio, praesidiariis, qui ad sexaginta redacti, cum suo tribuno Canitzio, libero & honesto abitu concesso (***). Reportata victoria, Carolus statim Curlandiam intrabat, a Primate ne id fieret, pace Regis nomine oblata, frustra rogatus: ac pacem non alia conditione volebat, nisi Augusto ab Ordinibus abdicato & alio in ejus locum Rege suffecto. Erat novi generis postulatio, nec audita unquam, post unius praelii felicem successum exigere, ut cives si bellum nolint, a Principe suo desciscant & alium

sibi

ſibi imponant. Occupata Curlandia imperatisque tributis, Sveci in Samogitiam progreſſi, preter alia Sapieharum, a quibus in praeſidium acciti, bona inſidentes. Tum Primas litteris iterum orabat, ut Rex in Livoniam ſuam rediret, quod Saxones, quos laceſſitus inſequeretur, jam Regno exceſſiſſent. Idem exponebat, quam longe Poloni a Principis ſui abdicatione abeſſent, ut & ſola ejus cogitatio nefas haberetur: addito, ut tormenta & reliquus belli apparatus Saxonibus erepta, & jam olim Reipublicae donata, redderentur. Sed neque Primas, neque Lituani miſſo legato, neque Regni Miniſtri, datis in eundem finem litteris, hoſtem ſiſtere potuerunt(†). AVGVSTVS II. 1701.

(*) LIVONICA Faſc. VII. p. 24. ſ.

(**) ZALVSC. III. 43. LAMBERTI *Comment. I.* 634. ſ.

(***) ZALVSC. III. 69. LIVONICA Faſc. VIII. p. 3. ſ. LAMBERTI *Comment. I.* 637. ADLERFELD *Hiſt. milit. Caroli XII.* T. I. p. 132. ſ. 176.

(†) LIVONICA Faſc. VIII. p. 15-31. Faſc. IX. p. 3-8. LAMBERTI *Comment. I.* 638. ſ. 660. ZALVSC. III. 46-50. 53. 135. ADLERF. *Hiſtor. milit.* T. I. 141.

§. XX. Fortiora ergo, quando preces non valebant, paranda erant, quibus hoſtis, non niſi cum Polonae gentis dede-

AVGVSTVS II. 1702.

core placabilis reprimi poſſet. Rex ut Ordinibus gratificaretur, Saxones dimiſerat, ſolis jam civium ſubſidiis confiſus, quae in comitiis conſtitui debebant. Haec viceſima ſecunda Decembris coepta, quarta Februarii a. 1702. Caſimirus Pacius, aegre ferens alium ſibi in Mareſchalcatu Curiae Lituanae praelatum, abrupit; multum de juribus non ſine inſectatione & acerbitate locutus. Antea tamen ad Regem Sveciae, nomine Reipublicae, ex Senatorio & equeſtri ordine legatio decreta, cui injunctum, ut expoſito quantum legibus Regis abdicatio adverſetur, & quod cives vitam & ſanguinem pro ſuo Principe fundere malint, operam Reipublicae in concilianda pace offerat, ita tamen ut priusquam de ea agatur, Sveci damna reſarturi ex Lituania & Curlandia diſcedant, & rem tormentariam Saxonicam Polonis, quibus olim donata, reſtituant (*). Negata Regi, ruptis comitiis, parandae defenſionis copia, Sveci per Lituaniam magis diffundi, ac amicitiae tutelaeque obtentu hoſpitiis & tributis graves eſſe, eos qui reſiſterent pro hoſtibus habere igne & ferro coërcendis. Verſabantur inter eos fratres Sapiehae, Palatinus Vilnenſis & magni Ducatus Theſaurarius, cum filiis ſuis, jam patriae ex vindicta graves, ut eodem tempore, quo mediam ſe ferret Re-

ſpublica,

ſpublica, Lituania belli incommodis affligeretur. In his legationis ſucceſſus exſpectabatur, quam vanam fore prudentiores providerant. Audita poſt non unam moram & tergiverſationem quarta Maji, quinque milliaribus Grodna, in vico Dlugovitz, obtinuitque, ut Reipublicae, praeter veterem amicitiam, arctius etiam foedus offerretur, ſi amoto Rege ſuo alium elegerit. Hunc operae fructum retulerunt oratores, quibus in oppido Pragenſi prope Varſaviam abeundi data facultas, quod Carolus cum Republica ſine internunciis quaſi coram agere vellet. Praeceſſerant ab eo graviſſimae in Regem Auguſtum ad omnes palatinatus literae, quibus electio novi Principis imperabatur, qua peracta copiae finibus exceſſurae eſſent. Mox Primati injunctum, ut in hanc rem nobilitatem quam primum convocaret (**).

AVGVSTVS II. 1702.

(*) ZALVSC. III. 137. 152. 158. 161. LIVONICA Faſc. IX. p. 5. LAMBERTI II. 26.

(**) ZALVSC. III. 159. 171. 172-176. 183. 193. ſ. 198. 200. 201. LIVONICA Faſc. X. p. 8-32. LAMBERTI II. 163-171. ADLERFELD I. 209. ſ. 225.

§. XXI. Nulla jam pacis ſpe, ex Senatorum conſilio, Regni exercitum contrahere & copias ex Saxonia accire decernitur,

AVGV-STVS II. 1702. nitur, receditque Rex Cracoviam, dum Carolus Varſaviam adventat, qui civitatem praeſidio vacuam, viceſima quarta Maji occupans, prope eam Pragae ſubſiſtit. Eo Regis conſenſu nona Junii Primas pacis cauſa venit, qui tum publice tum ſemotis arbitris, nullo tamen commodo, auditus, quod Carolus in Auguſti abdicatione perſiſteret, quem in ea obfirmaſſe Primas arguebatur. Antea nobilitas in hoſtem evocata, ut armata ſub Korczynum undeviceſima Julii adeſſet, eodemque tempore ex Saxonia veniebant copiae, ut Rex ſuorum quindecim millium haberet exercitum, cum quo ad nuncium Svecos in ſe tendere Cracovia movens, ad Cliſſoviam ſubſtitit, Carolo cum duodecim millibus eo progrediente. Adfuit ſub praelii initium Hieron. Lubomirius ſupremus Dux cum parte Poloni exercitus, cui locus ad dexteram alam Saxonum contigit, quam ipſe Rex curabat. Pugnatum undeviceſima Julii, a prima ad quintam horam, primis cedentibus Polonis, quorum exemplum dextera ala Saxonum ſecuta, magis tamen mutua diffidentia, quam quod vi pulſi, illis, ne Sveci & Saxones in ſe arma jungerent, his, ne Poloni a tergo ſe invaderent metuentibus. Polonorum pauci admodum deſiderati, Saxonum tum caeſorum tum ſauciorum fere

duo

duo millia, & mille cum ſeptingentis capti, machinae duodequinquaginta & cuncta impedimenta victori ceſſerunt: cui, mille circiter & ducentis aut interemtis aut ſauciis, non incruenta fuit victoria, imo ob mortem Ducis Holſatiae, Regis Sveciae per ſororis matrimonium affinis, luctuoſa, qui ipſo praelii initio glande ex minori machina, cui a falcone nomen, occubuit (*). AVGVSTVS II. 1702.

(*) ZALVSC. p. 191. 219-220. 222. 224. COMMENT. *de ultimis motibus in Pol.* p. 14-17. LAMBERTI T. II. p. 172. ADLERFELD. T. I. p. 231. ſeq. 244. ſeq. 552-557. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 35-39.

§. XXII. Poſt hanc cladem Rex ſtatim ad Cracoviam diſperſas collegit copias, quibus cum octo millia ex Saxonia jungerentur, majorem quam ante pugnam effecit exercitum, quem Sendomiriam verſus duxit, hoſte poſt ejus abitum, Cracoviam ſine defenſione occupante. Sendomiriam nobilitas Korczynum evocata receſſerat, quam Rex in commune conſultaturus ſequebatur. Aderant minoris Poloniae palatinatus, & ex majori Siradienſis, Ravenſis & Lancicienſis, qui viceſima ſecunda Auguſti, pro Religione, Rege & libertate foedere ſe conſtringunt illudque jurejurando firmant; abſentes ex majore Polonia Lituanosque, ut accedant per

AVGV-STVS II. 1702.

per legatos invitant; novos ad hoſtem oratores de pace, ſimul conſiliarios qui cum Rege de pacis & belli negotiis decernant, legunt; exercitui ſtipendia, rei tormentariae ſumtus, & Ducibus donativum conſtituunt; ac quicunque partes Svecicas amplexuri, patriae hoſtes declarant, qui jam ad eas tranſierant, Reipublicae judicio permittentes (*). Pridie quam foedus coaluit, Felix Lipſcius, Palatinus Caliſſienſis, prioris ad Regem Sveciae legationis caput, incuſatus quaſi hoſtem in Poloniam duxiſſet, facto in ipſum tumultu, multis vulneribus conficitur, ex quibus poſt paucos dies obit. Cujus viri innocentiam & quod legatione egregie functus, Rex ſuo teſtimonio firmavit (**). Novis autem ad Regem Sveciae legatis, qui praeter Maſoviae Palatinum, Stanisl. Morſztynium, tres ex equeſtri ordine erant, mandatum, iterum Reipublicae in concilianda pace operam, iisdem quibus nuper conditionibus, offerre, ac fidem ejus, firmam fore compoſitionem, interponere (***).

(*) ADLERFELD. T.I.p.288-302. EXPEDIT. *Caroli XII.* p.41-43. ZALVSC. p. 224. 225. 241-245. COMMENT. *de ult. mot.* p. 18. 26.

(**) ZALVSC. p. 253. 277.

(***) ZALVSC. p. 259.

§. XXIII.

§. XXIII. Dum legationis ſucceſſus exſpectatur, nobilitas ad ſua redit, & Rex Varſaviam contendit, ubi coeptum viceſima ſecunda Septembris conſilium, ſequenti die in viceſimam tertiam Octobris, ac iterum in viceſimam ſeptimam Novembris prorogatur. Sveciae autem Rex, poſitis ad Cracoviam caſtris, legatos tum quod non a tota Republica miſſi, tum quod Poloni, ob hoſtilia quae facerent, pro mediis habendi non eſſent, admittere noluit. Conſilia tamen ejus caſus tardavit, cum concitato inter tentoria equo, in terram praeceps ſiniſtrum femur frangeret. Reſtitutus aliquantum, movit in palatinatus Sendomirienſem ac Lublinenſem, hisque tum Ruſſiae ac Volhiniae gravibus tributis imperatis, nobilitatem ad defectionem a Principe ſuo adigere laboravit (*). Eodem tempore Auguſtus coeptum Varſaviae conſilium Thorunii continuavit, ac quinta decima Decembris finiit. In quo majores Poloni & Lituani ſancita ad Sendomiriam probarunt, ſimul palatinatibus injunctum, pro defenſione pecuniam ac militem decernere: & cum ſucceſſus legationis ad Regem Sveciae incertus eſſet, placuit, poſt illius reſponſum, novum conſilium celebrare, in quo vel pax, vel bellum, utrumque ex publico commodo conſtitueretur. Neque ſilentio

AVGVSTVS II. 1702.

tio

AVGV- STVS II. 1702. tio transmittendum, Regem tum novos Regni Cancellarios, And. Chrysoſt. Zaluſcium, Varmienſem Epiſcopum, majorem, & Jo. Szembekium, minorem creaſſe (**). Antea legatus Gallicus, Heronius, quod bellum & inteſtina diſſidia foviſſet, ac hoſti auctor fuiſſet, arma ex Polonia in Saxoniam transferre, juſſus Regno excedere cum nollet, ſub cuſtodia Varſavia ad fines deducebatur (***). Pertinent non minus ad a. 1702. motus Coſacorum in Ucraina, a quibus caedibus & incendio ſaevitum. Compeſcuit eos Adamus Sieniavius Belzenſis Palatinus, Poloni exercitus minor Dux, & conceſſa Regis nomine facinorum venia, ad obſequium reduxit (†).

(*) ZALVSC. p. 231. 236. 267. 273. 276. 340. 342-351. ADLERFELD. T. I. p. 317. 337. 342. 348. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 46. LAMBERTI T. II. p. 174. ſeq.

(**) ZALVSC. p. 310. 318. 353. 365. 367. COMMENT. *de ult. motibus* p. 26.

(***) ZALVSC. p. 229. 230. 307. LAMBERTI T. II. p. 686-689.

(†) ZALVSC. p. 279. 333. 335. 375. 415.

1703. §. XXIV. Quaſi Carolum belli taederet, initio a. 1703. pacem Polonis offerebat, modo Primas locum deligeret, ubi libere

libere de ea agi poſſet, armorum ſocietate in communem hoſtem & provinciis ipſi eripiendis, in praemium operae oblatis. Haec dictu ſpecioſa infeſtius tegebant conſilium, Ordines pacis vocabulo, in Regem ſuum & Moſcos concitare, ac Rempublicam tum inteſtino tum externo bello premere. Primas hoſtis mentem intelligens, nec ipſe ab ea diverſus, Senatores & Reipublicae de pace legatos, ad decimam quintam Februarii Varſaviam convocabat: quo contra fas, jus Regium uſurpavit, graviter ea de cauſa a Rege objurgatus, qui conſilium magnum, die ſexta decima Martii ſe coram habendum, indixit. Aderant tamen Varſaviae unus & alter, qui conventiculum ſuum ad viceſimam ſeptimam Martii prorogabant. Longe frequentius ex Senatoribus & Palatinatuum nunciis fuit conſilium magnum Mariaeburgi conſtituto die inchoatum, quodque Lituanorum foedus pro Auguſto II. praeceſſerat. Ibi Rex & Ordines mutuis ſacramentis pro defenſione Reipublicae a Svecorum vi ſe jungunt; in hos nobilitatis expeditionem, tum comitia extraordinaria duarum hebdomadum decernunt; hoſtium partibus addictos, ſi pertinaces, perduelles, fama, dignitatibus & bonis multandos declarant; congreſſum Varſavienſem irritum habent, & miſſos ex conventu

AVGVSTVS II.
1703.

Sendo-

AVGVSTVS II. 1703. Sendomirienſi de pace legatos, munere ſuo defungi hortantur (*). Manſit Primas Varſaviae, quanquam Mariaeburgum ad conſilium vocatus, conventum tamen ſuum, abſentibus cum quibus ageret, habere non potuit. Venit eo Aprili menſe Sveciae Rex, & poſt colloquium cum Primate, in Praga oratores Reipublicae decima ſexta audit, qui ſola hac conditione pacis ſpem obtinent, ſi Rege amoto, alius in ejus locum ſuffectus fuerit. Tum Carolus ex Praga movens, Saxones ſub Steinavio ad Pultuſcum in Maſovia, prima Maji caedit, ac Thorunium, cui praeſidium Saxonicum ſex millium impoſitum erat, progreditur (**).

(*) ZALVS. II. 235. 385-387. 390. 393. 406. 419. 439. 450. 453. COMMENT. *de ult. mult.* p. 27-37. LAMBERTI T. II. p. 708-710. ADLERFELD. T. I. p. 350. ſeq. p. 361. ſeq.

(**) ZALVSC. II. 443. 454. 459. 465. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 51. ADLERFELD. T. I. p. 375. 380. 383. ſeq.

§. XXV. Dum hoſtis Thorunium obſidet, Lublini comitia extraordinaria ad diem undeviceſimam Junii indicta, habentur, in quibus Ordines abdicationem Regis lege lata deteſtantur; jusjurandum pro ejus Majeſtate ad Sendomiriam ſancitum probant: idque cum quaedam adiecissent,

ciſſent, ut ab omnibus praeſtetur, exigunt; ac iis qui in Svecorum partibus, ſex hebdomades indulgent, antequam ipſis poena perduellionis irrogetur. Quare cum caeteris, Primas qui aderat, conceptis verbis juravit, ſe Svecos in Poloniam non arceſſiviſſe, contra Regem nihil molitum, neque moliturum unquam. Simul in hoſtes arma, ac pro militum ſtipendiis, nec non ut Regi Pruſſiae pecunia, qua olim Elbinga oppignerata praeſtaretur, tributa decreta fuerunt (*). Peracta ſine ullius interceſſione comitia, diſſenſionis cauſa evaſerunt, qua illorum numerus auctus, qui externi Principis conſiliis, adverſus patriam ſuum addixerant ſtudium. Cum enim iis qui ex Poſnanienſi & Caliſſienſi palatinatibus venerant, quod rupto ſuo conventu non rite miſſi, locus in comitiis negaretur, induxit hos palatinatus Primas, ut nona Julii Sredae ſeorſum foedus, Petro Broniſz, Pizdrenſi praefecto, Mareſchalco, inirent, Religionem catholicam, Regem Auguſtum II. Regni & Lithuaniae jura tuituri. Intellexerunt ſtatim plurimi, honeſtis nominibus malum aliquod tegi, auxitque ſuſpicionem Carolus, qui ſcita Lublinenſia arguens, fœdus hoc unice probabat, pacem, auxilia & tutelam offerendo. Qua de cauſa Rex monuit, ut vinculo hoc diſſoluto, omnes ad

AVGVSTVS II. 1703.

AVGVSTVS II. 1703.

ea quae Lublini ſancita ſe componerent (**).

(*) CONSTIT. a. 1703. p. 4. tit. *Oſwiądczenie.* p. 3. tit. *Poſpolite.* p. 6. tit. *Obrona.* p. 7. tit. *Podatek.* p. 9. tit. *Záplata.* p. 12. *Eliberatio.* ZALVS. p. 502. ſeq. COMMENT. *de ultimis motibus.* p. 39. ſeq. LAMBERTI T. II. p. 733. ſeq. ADLERFELD. T. I. p. 413. 428.

(**) ZALVSC. p. 481. 504. 517. 540. COMMENT. *de ult. mot.* p. 47. ſeq.

§. XXVI. Thorunium vero, quod fine Maji obſideri, & viceſima quarta Septembris tormentis ac mortariis oppugnari coepit, decima tertia Octobris per deditionem victoris arbitrio ſe permiſit. Inde praeſidio, quod ad mille & octingentos integros redactum, reliquis aut abſumtis aut decumbentibus, captivitas ſubeunda. Urbs, armis & omni apparatu militari traditis, munitionibus, muris etiam & turribus paſſim disjectis, nudata, & grandi pecunia multata fuit (*). Poſt Thorunium, Elbinga defenſioni impar, hoſtes duodecima Decembris recepit, poena non minus ac ſi reſtitiſſet irrogata, quam magna pecuniae ſumma luit, cum ejus ager paulo ante a Rege Pruſſiae occuparetur, quod ſumma, quae ex oppignerata olim civitate debebatur, conſtituto tempore numerata non eſſet. Miles autem

tem Svecus, toti Prussiae Polonae, non minus hibernis, quam tributis gravis erat, Gedano haud immuni, quae in hoc ante alias civitates felix, quod pecunia libertatem redemerit, & in illa rerum conversione, pristinum statum servaverit incolumem. Rex Sveciæ, relicto Elbingae praesidio, sedem sibi per hiemem Heilsbergae in Varmia legit (**): qui cum his successibus in dies validior evaderet, Augustus ex Senatorum consilio, Thomam Dzialinium, Culmensem Palatinum, ad Czarum Moscorum pro foedere mittit, quod tricesima Augusti 1704. Narvae in Esthonia his legibus componitur: ut bellum adversus Regem Sveciae, usque ad pacem ab utroque foederato una ineundam, continuetur; Czarus quaecunque in Livonia hosti erepturus Polonis, si ea olim tenuissent, ultro reddat; Idem duodecim millia peditum, suis stipendiis, cum omni apparatu, per totum belli tempus in auxilium mittat; ac singulis annis, quamdiu Sveci in Polonia essent, Regni & Lituano exercitui, qui ambo viginti & unum mille ac octingentos equites, pedites ducentos supra viginti sex millia efficerent, duos florenorum Polonorum milliones solvat; Poloni vero, quam primum hostem suis terris exegerint, bellum in illius provincias transferant (***).

AVGVSTVS II. 1703.

1704.

 (*) ZAL.

AVGV-STVS II. 1704.

(*) ZALVS. p. 571. ZERNECKII *Thorunium oppugn.* p. 152-195. ADLERFELD. T. I. p. 404. 420. T. II. p. 16. 34.

(**) ADLERFELD. T. II. p. 53-64.

(***) ZALVSC. p. 564. CONFIR. GENERALIS *foed. Sendomir.* a. 1710. p. 50-52.

§. XXVII. Annus 1704. agitatum a Carolo XII. in Auguſtum II. conſilium perfecit, Polonis, qui illius partibus ſe addixerant, juvantibus. Caput erat Regni Primas, foederatorum in Posnanienſi & Caliſſienſi palatinatibus opera uſurus, quamvis, cum artes intelligerentur, multi in iisdem palatinatibus ſocietatem hanc publica contradictione averſarentur, quicquid caeteri acturi irritum declarantes. Neque deerant, qui Jacobo Sobieſcio Regiam dignitatem, quaſi jam vacuam, deſtinarent, pro quo Rex Sveciae arma in eos, qui ipſi adverſi, promittebat. Blandum tamen pacis nomen, tributorum, quibus ab hoſtibus exhauriebatur Polonia, finis, & perſuaſio, poſſe utrumque ſalva Auguſti majeſtate effici, induxit aliquos palatinatus, ut Varſaviam nuntios mitterent, quo Primas ad viceſimam quartam Januarii conventum edixerat. Aderant ex Posnanienſi, Caliſſienſi, Lencicienſi, Breſtenſi Cujaviae, Junovladislavienſi, Plocenſi, Ravenſi, Podlachienſi

ensi palatinatibus, Vielunensi, Dobrinensi, & Masoviae terris, & praeter Primatem novem Senatores, ex hostis arbitrio consultaturi, qui non solum civitatem praesidio, sed & itinera tenebat, ut abitus, nisi confecto negotio, negaretur. Missi pariter a Rege Sveciae legati, voluntatis suae interpretes, & qui studia, si forte languerent, accenderent. Initio novo se vinculo praesentes constringunt, Petro Bronisz, eodem qui palatinatibus Posnaniensi & Calissiensi praeerat, Mareschalco. Inquiritur in acta Augusti, non sine acerbis in eum vocibus, idque impune, nemine Regis sui causam tuente: cui pari temeritate regnum abdicatur, exercitu Saxone publico hoste, & Polonis qui Principi fidem servaturi, perduellibus habendis(*).

AVGVSTVS II. 1704.

(*) ZALVSC. p. 579. 581. LAMBERTI *Comment.* T. III. p. 332. 357-360. COMMENT. *de ult. motib.* p. 55-124. FOEDVS GENERALE Varsaviens. ADLERFELD. T. II. p. 65-68. 73.

§. XXVIII. Nondum eo res deducta erat, patebat tamen quo foederatorum Varsaviensium, sic enim appellamus, qui se Varsaviae conjunxerant, molitiones tenderent, cum in consilio magno Cracoviensi duodecima Februarii, patriae hostes & majestatis rei judicarentur. Ultima autem illius mensis die, Jacobus Sobiescius,

AVGV-STVS II. 1704.

biescius, quem Regni candidatum modo memoravi, in Silesia haud longe Vratislavia interceptus, in Saxoniam deducebatur, fratre Constantino sua sponte comite, & custodiam libertati praeferente. Nihilominus Primas, secunda Maji interregnum, & electioni novi Regis undevicesimam Junii edixit. Non tulerunt hoc nefas Ordines, qui a Rege convocati ad Sendomiriam acta Varsaviensis conventiculi detestantes, novum foedus usque ad pacem duraturum, pro Augusto II. contra externos & domesticos hostes sanciunt; candidatum, qui regnum quasi jam vacuum petiturus aut illud recepturus, Primatem, Posnaniensem Episcopum, fœderis Mareschalcum, ejus consiliarios, & quicunque ad futuram electionem missi fuerint, publicos hostes, majestatis reos, & dignitatum ac bonorum exsortes, declarant; in eorum numero & reliquos qui Varsaviae fuerint Senatores, nisi intra quindecim dies partes deseruerint, habent; Regem, ut ad arma nobilitatem convocet, orant; defensionem a Svecorum vi decernunt & exercitus ad fortia excitant; foedera cum vicinis probant, & fines per futuram pacem imminui vetant. His constitutis, Rex in pacta conventa & leges, Mareschalcus, Senatores, & equites in fœdus jurant, adscriptis singulorum nomini-

minibus, inter quos & illorum palatinatuum & terrarum nuncii, qui ſuos Varſaviam miſerant: quod certiſſimum argumentum, diſplicere quae ibidem in Regem acta erant. Hoc eſt iſtud foedus, quod Rempublicam continuit, & Auguſtum II. fortiter conſtanterque tuendo, regno ſervavit (*).

AVGVSTVS II. 1704.

(*) COMMENT. *de ult. motib.* p. 125-176. LAMBERTI T. III. p. 361. 367. 372. FOEDVS GENER. Sendomirienſe.

§. XXIX. Jam prima hoſtis cura, ut foederatorum Varſavienſium partes augeret, modo promiſſis, modo minis, modo vi utens, ipſeque Carolus, fine Junii ex Pruſſia cum exercitu propius Varſaviam movit, electionem novi Regis armis fulturus. Deſtinaverat huic dignitati Palatinum Poſnanienſem, Stanislaum Leſzczynium, a quo alienus Primas, Hieronymum Lubomirium, Cracovienſem Caſtellanum & ſupremum exercitus Ducem, fovebat. Protracta electio in diem duodecimum Julii, quo Epiſcopus & Palatinus Posnanienſis, tres Caſtellani, Litvaniae Theſaurarius & quadraginta circiter nobiles ex iis palatinatibus, qui Sendomirienſi foederi acceſſerant, in campum venerunt, Primate, Caſtellano Cracovienſi, & Palatinis Podlachienſi & Sira-

AVGVSTVS II. 1704.

dienſi, qui in urbe remanſerant, abſentiam excuſantibus. Aderant & legati Svecici, Hornius & Vachſchlagerus, negotii finem urgentes, tum multi nationis hujus praefecti militares, & ſtatio ſeptingentorum peditum equitumque. Foederis Mareſchalcus Broniſz id muneris & in electione gerebat, quam differri fruſtra conabatur. Neque contradictio, qua nuncii palatinatus Podlachiae intercesserunt, obſtitit, quo minus ſub ſolis occaſum, Vlad. Bronicovius, ex palatinatu Posnanienſi, ſuum Palatinum nominaret. Id ab ejus amicis & clientibus fauſtis acclamationibus exceptum, & Epiſcopus Posnanienſis, Stanislaum Leſzczynium, Regem Poloniae renunciavit: Podlachienſibus in contradictione perſtantibus, & Mareſchalco multum indignante. Reditum veſperi, praelucentibus facibus, in urbem, ubi ſequentibus diebus Primas & alii qui electioni non interfuerant, Stanislaum Regem coluere, nullis cum eo contra receptum morem pactis conventis intercedentibus. Ita Rex Sveciae, Polonis novum Principem ſe impoſuiſſe credidit, cui dignitatem non litteris tantum, ſed etiam coram inter Varſaviam & oppidum Blonie gratulatur, Stanislao in via occurrente. Additus legationis honor, ingreſſique magno apparatu undetriceſima Julii

Varſa-

Varſaviam, Hornius, Vachſchlagerus & Palmbergius, ut peracta ſalutatione, pacem & ſocietatem in hoſtes conſtituerent (*). AVGVSTVS II. 1704.

(*) ADLERFELD. T. II. p. 123-138. COMMENT. *de ult. motib.* p. 177-205. LAMBERTI T. III. p. 387.

§. XXX. Longe alia erat Reipublicae mens, quam externo Regi jure victoriae agenti, cum Sendomirienſes foederati totam electionem irritam, qui eam foviſſent ac perfeciſſent, patriae hoſtes & perduelles, una cum electo dignitatibus & bonis exuendos, declararent. Papa Regem Auguſtum ſolatus, Primatem graviter increpitum ad dicendam cauſam Romam evocabat, & Ordines, ut Principem fortiter tuerentur, hortabatur. Rex autem, Carolo in Ruſſiam digreſſo, propere ex palatinatu Belzenſi Varſaviam movit, aemulum ſuum intercepturus, qui paulo ante adventum, ad Regem Sveciae, & Primas Gedanum evaſit. Epiſcopus Poſnanienſis pedibus aeger, captus & Romam miſſus, ut poenam ſubiret, ac legati Svecici, qui ſe in arcem receperant, cum quingentis praeſidiariis ſuae nationis, facta deditione, decima quinta Septembris poteſtati victoris ſe permiſerunt: cum ſexta illius menſis, Leopolis ab hoſte impetu

AVGV-STVS II. 1704.

capta fuiſſet (*). Interea novas copias ex Saxonia Schulenburgius adduxerat, a quo Sveci ſub Meierfeldio in majore Polonia conſiſtentes, poſt minorem conflictum Thorunium recedere coacti. Junctus Regis exercitus circa Varſaviam ad Bugum & Viſtulam metabatur, cum Brandius & Patculius Posnaniam, quam hoſtis inſidebat, cingerent. Regrediente cum Stanislao ex Ruſſia Carolo, ſolvitur Posnaniae obſidio & Rex Varſavia cum equitatus parte Cracoviam, Schulenburgius cum cohortibus duodecim & quatuordecim alis, in majorem Poloniam tendit. Carolus, omiſſo Rege, Schulenburgium cum ſolo equitatu usque ad vicum Puniz, in Posnanienſi palatinatu prope fines Sileſiae inſequitur. Pugna ibi octavo Novembris, & fuſis equitibus Saxonicis, ſolus pedes quinque hoſtium impetus ſuſtinuit, ut nocte praelium dirimente, ſalvus in Saxoniam rediret, quem hoſtis in Sileſiam quatuor a Viadro milliaria fruſtra ſecutus. Tum Sveci, deletis in reditu duobus Coſacorum millibus, per majorem Poloniam in hibernis locati, horumque Rex ad oppidum Ravitz in Sileſiae finibus, usque ad Auguſtum menſem ſequentis anni ſubſtitit (**).

(*) LAMBERTI Tom. III. p. 388. 400. CLEMENTIS

MENTIS XI. *Epiſtolae* p. 231. ſeq. p. 278. ZALVS. T. III. p. 607. ADLERFELD. T. II. p. 243-264. AVGVSTVS II. 1705.

(**) ADLERFELD. T. II. p. 269. 363.

§. XXXI. Non ſolae externi Regis victoriae, ſed & civium diſſidia, mutuis caedibus & populationibus affligebant Poloniam: irrita Reipublicae opera, quae diſtractos fruſtra revocabat. Auguſtus fine anni 1704. in Saxoniam, ut nova belli, jam neceſſarii, pararet ſubſidia; inde ob valetudinem, pede altero affecto, ad Carolinas thermas profectus, publicam ſalutem Ordinibus commendabat: Carolo finem calamitatis, ſi omnes ſub Stanislai imperium concederent, ſecus, quae in bello ultima, oſtentante. Ut etiam quo in pacem ferretur ſtudium probaret, legatos ſe de ea miſſurum pollicitus, quam obrem Primas conventum ad undecimam Julii a. 1705. Varſaviam indixit, qui, quod infrequens admodum, in duodeviceſimam prorogatus, quatuordecim ſaltem nunciis praeſentibus coepit, ac congreſſus Mareſchalcus, memoratus ſaepe Broniſzius, creatus eſt. Primas Gedani agens aberat, cui tanquam praecipuo turbatori, & Regi ſuo contumaci, ſummus Pontifex omnem muneris ſui uſum, ac praeter eum, Archiepiſcopo Leopolienſi &

AVGV-STVS II. 1705.

& cunctis Episcopis, Stanislao regium diadema imponere, interdixit. Ut autem conventus ille a vi tutus esset, tres legiones equestres Svecicae sub Nierotio, ad Varsaviam locatae, quae ultima Julii contractas ex Polonis, Lituanis & Saxonibus decem circiter millium copias, post acre sex horarum praelium cedere coëgerunt, Peiculio Duce Saxonico capto. Post hanc pugnam Stanislaus, cum iisdem oratoribus Svecis, qui proximo anno missi fuerant, vicesima prima Augusti Varsaviam venit, Carolus vero, relicto cum tredecim legionibus in majore Polonia prope Silesiae fines Rheinschildio, ad Blonie metabatur: cujus nomine postulatum, ut Stanislaus Rex inauguraretur, antequam pax conveniret. Inde factum, ut quarta Octobris, Ipse & ejus uxor Catharina Opalinia, a Constant. Zielinio, Leopoliensi Archiepiscopo, Varsaviae diademate decorarentur, novis fabricatis insignibus, cum vetera Cracovia alio deportata fuissent. Peractis his sollemnibus, pax Olivensis firmata, & foedus in Augustum ac Russorum Czarum constitutum, donec ille Regno se abdicaverit, & ambo illata damna reparaverint: quibus alia, de modo continuandi belli, de restituenda domo Sapiehana, de religione, mutuis civium commerciis, vectigalibus & moneta, adjecta fuerunt (*).

(*) ADLERFELD. T. II. p. 406. 437-457. 465-478. 491-497. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 79-83. ZALVS. T. III. p. 610. 612. 615. 646-649. 667-670. 735. seq. LAMBERTI T. III. p. 638. 645. 650. 665-670. AVGVSTVS II. 1705.

§. XXXII. Antea monuerat Rex Ordines, ut Varsaviensi conventu abstinerent: cujus auctores, aut eidem adfuturos, in consilio Brestae in Litvania habito hostes publici declarabantur, nec minus inaugurationi Stanislai in alio conventu Ticocini fortiter contradicebatur. Post haec Augustus, ut hostium vitaret insidias, ex Saxonia clam cum tribus comitibus profectus, Gedanum & Regiummontem transiens, ex improviso prima Novembris Ticocinum venit, unde instituto in tesseram constantis fidei equestri ordine, cui ab alba aquila nomen, Grodnam se confert. Aderat ibi praeter ingentem Senatorum nobiliumque numerum Russorum Czarus, cujus exercitus auxiliaris sub civitatem hanc metabatur. Habito consilio, contractum superiore anno cum illo foedus probatum; in aversos a Republica cives judicia & poenae constitutae; miles ad certum numerum redactus; in ejus stipendia & alios sumtus tributa decreta; & ut nummorum penuriae subveniretur, novos cudere concessum. Inter haec publica, non omittenda mors Regni Prima-

AVGVSTVS II. 1705. Primatis, Michaelis Radzejovii, decima tertia Octobris Gedani defuncti, cujus dignitatem Rex Ticocini Stan. Szembekio, Episcopo Cujaviensi, contulit, & in ejus locum Felician. Constant. Szaniavium suffecit (*).

(*) ZALVSC. T. III. p. 644. 659. 708. 726. 726. 748-760. SAPIEHA *de ordine equit. aquilae albae* p. 162. LAMBERTI T. III. p. 671.

1706. §. XXXIII. Rex autem Sveciae, aspera quamvis hieme, motis ab oppido Blonie octava Januarii a. 1706. castris, in Litvaniam ducebat exercitum, ut sparsas per hunc magnum Ducatum Russicas copias ex improviso opprimeret, quae sub adventum hostis, in munita prope Grodnam castra contrahebantur (*). Aderat Augustus, qui duodetricesima Januarii Varsaviam discessit, ut adventanti ex Saxonia sub Schulenburgio exercitui occurreret: qui viginti circiter millium, inter quos multi recens lecti & Russorum sex millia, ad Fraustadium in palatinatu Posnaniensi, tertia decima Februarii a Renschildio, cui equitum octo, peditum quinque legiones, praelio superabatur. Russi ad unum omnes, abjectis quamvis armis, trucidati, solo eorum Duce Vestromirio capto, Saxonum, praeter caesos, ultra septem millia in hostium potestatem venisse,

nisse, horumque quadringenti desiderati, ac mille quadringenti saucii feruntur (**). Augustus post cladis nuncium, ex itinere quod exercitum versus susceperat, Varsaviam redux, Cracoviam contendit; Carolus magna Lituaniae parte peragrata, in Volhiniam penetrat, igne & ferro, tum proceres tum nobiles a Stanislao alienos, persequens, ut qui sponte ipsum colere nollent, vi subigeret. Non tamen sine clade haec peracta excursio, multis frigore, inopia, quibusdam & ferro amissis. Motis decima septima ab oppido Zarislovice, haud longe Luceoria, castris, Carolus suum exercitum in palatinatum Posnaniensem reduxit, ac ultima Augusti Ravicium ad Silesiae fines venit. Hinc prima Septembris, cum viginti quatuor legionibus, multum tamen infra suum numerum deminutis, in Saxoniam tetendit, pacis se arbitrum fore ratus, si illas regiones teneret, quarum potissimum subsidiis bellum Augustus sustinuisset. Non fefellit opinio. Data fuit pax a victore duris legibus, quam in vico, cui vetus Ranstadium nomen, Augusti legati vicesima quarta Septembris receperunt, & qua praeter alias conditiones Augusto regnum abrogatum idque in Stanislaum translatum est. Ita de Republica, Ordinibus insciis, & modo, quem jura vetant, trans-

AVGVSTVS II. 1706.

AVGV-STVS II. 1706. transactum, & novus Rex impositus, quem Ordines non elegerant, imo quo minus eligeretur antea intercesserant (†). Non tamen ideo in Polonia arma cessabant, ubi Rex exercitum ex Polonis, Saxonibus & Moscis contractum, in hostes prope Calissium duxit. Erant Svecorum septem circiter millia sub Mardefeldio ac partium illarum Poloni & Lituani ad duodecim millia, Palatino Kioviensi Potocio, & Sapieha magni Ducatus Notario campestri, praecipuis praefectis. Pugna undetricesima Octobris, trium paene horarum, qua hostes profligati, ut Svecorum paucos admodum equites fuga servaret, omnibus fere aut caesis aut cum ipso Mardefeldio captis. Polonorum Lituanorumque sex millia, cum Palatino Kioviensi, Regis potestati se permiserunt, idem a trecentis Svecis, qui civitati Calissiensi praesidio impositi, quique eo ex praelio se receperant, factum. Haud licuit Regi hac victoria uti, pace in Saxoniam avocatus, quo Varsavia initio Decembris abiit (††).

(*) ADLERFELD. T. II. p. 504. seq. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 86.

(**) ADLERFELD. T. II. p. 538. seq. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 88.

(†) ADLERFELD. T. II. p. 550. seq. T. III. p. 3. seq.

seq. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 92. 105. LAMBERTI T. IV. p. 258. seq. p. 273. COMMENT. *de ult. mot.* p. 237. seq.

AVGVSTVS II. 1707.

(††) ZALVSC. T. III. p. 787. seq. ADLERF. T. III. p. 76-80. 105.

§. XXXIV. Minime ad se Respublica pertinere credebat pacem, inscia se, contra praecipua jura, Regi suo in Saxonia extortam: quamobrem in conventu Leopoliensi, cui Primas Stanislaus Szembek & Mareschalcus Stanislaus Doenhofius praeerant, septima Februarii a. 1707. firmato Sendomiriensi foedere sancitum, non alium ferre Regem, nisi libero Ordinum consensu electum. In consilio, Martio mense ibidem habito, foedus cum Russorum Czaro adversus communes hostes roboratum: cujus copiae per Lituaniam & Poloniam, usque in Russiam & fines Silesiae sparsae, eos qui adversarum partium, in hostium numero habebant, Archiepiscopo Leopoliensi Zielinio in captivitatem abducto. Secutus alius congressus Lublini vicesima tertia Maji, in quo ad nonam Julii consultatum, ac promulgato interregno, Senatores & nobiles vocati, ut in eadem civitate undecima Augusti adessent, quod de patriae defensione & electione Regis agi deberet; fatentibus simul Ordinibus, Augustum, juri-

AVGVSTVS II. 1707. bus ſalvis, ſine omnium conſenſu, extra comitia regnum abdicare non potuiſſe: utque adeo optimo Principi reditus ad ſuos cives, a quibus non ſua ſponte divulſus, nova lege muniretur. In altero Lublinenſi conventu, de electione Regis nihil ſancitum, Ordinibus ad nuncium, Svecos ex Saxonia in Poloniam rediiſſe, initio Octobris diffluentibus, cum publicam ſalutem Primati, foederis Sendomirienſis Mareſchalco & aliis commendaſſent, ſimul quaedam pro defenſione patriae ſanxiſſent (*).

(*) ZALVSC. T. III. p. 800. 805. 807. 810. FAMA EVROP. part. 68. p. 338. part. 71. p. 831. LAMBERTI Tom. IV. p. 486. 487. ADLERFELD. T. III. p. 162-166. 177-183. 213. 214.

§. XXXV. Rebus in Saxonia ex ſententia confectis, Rex Sveciae milite & pecunia auctus, Septembri in majorem Poloniam revertit, & ad nonam Novembris in caſtris prope Slupzam, Palatinatus Caliſſienſis vicum, conſtitit, ſupplementa legionum ex Svecia opperiens: quo ſpatio Patculius, cujus alias injecta mentio, quemque Auguſtus pace tradere adactus, ad Caſimiram rota contuſus, & in partes diſſectus, dirum ſupplicium ſubiit. Motis caſtris, iter in Cujaviam, & transmiſſo menſe

menſe Januario a. 1708. Viſtula glacie, in Maſoviam; Moſcis recedentibus, qui juſti praelii copiam negantes, hoſtem ſuum, frigore, fame, viarum difficultatibus & minoribus paſſim pugnis, atterere ſperabant. Sequebatur Carolus, ſeptem millibus in Polonia, novo Regi ejusque partibus in praeſidium, ſub Craſſavio relictis, cum exercitu triginta quinque millium in Lituaniam, quam multo labore emenſus, Julio menſe Mohiloviam, fuſis ſub Holowſzinum Moſcis, pervenit. Trajecto pontibus Boryſthene, flexit in Severiam, inde in Ucrainam, commeatus inopia preſſus, & ut Mazeppam, Coſacotum ſupremum praefectum, qui a Czaro defecerat, ſibi jungeret. Interea magna vis annonae aliarumque rerum quae militibus uſui, ex Livonia & Curlandia congeſta, quam ut ad Regem ſuum Levenhauptus deportaret, cum exercitu duodecim millium, ſine Auguſti ex Livonia profectus eſt. Superato Boryſthene, eum ad Leſno in palatinatu Mſcislavienſi, nona Octobris Moſci aggreſſi, & poſtquam ſtrenue reſtitiſſet, commeatu, impedimentis, machinis & peditatu relictis, cum ſolo equitatu quatuor circiter millium, ad Regem evaſit. Hic per Severiam tendens, poſt Mazeppae adventum Ucrainam Novembri introiit, exercitum

AVGVSTVS II. 1708.

AVGVSTVS II. 1709.

via & laboribus feſſum in hibernis refecturus. Sed ſaeva hiems, qualem meminerat nemo, & continui cum hoſtibus congreſſus, copias gravius afflixerunt, quae numero imminutae, vere ineunte a. 1709. inter fluvios Pſiolam & Vorſklam conſiſtebant. Ad hunc ſita Pultava, Svecorum Cannae, imo Svecis, quam Romanis Cannae, funeſtior, quae obſidione cincta, vim ſuſtinuit, ac octava Julii locum pugnae dedit, qua totus exercitus periit, multis caeſis, pluribus tamen captis. Rex ſaucius, cum octingentis circiter ſuorum, Boryſthene trajecto, per vaſtam ſolitudinem Oczacovam inde Benderum ſe recepit (*).

(*) ADLERFELD. T. III. p. 205. ſeq. T. IV. EXPEDIT. *Caroli XII.* p. 118-179. LAMBERTI T. V. p. 397. ſeq. ZALVS. T. III. p. 850.

§. XXXVI. Eo tempore per Poloniam gravis peſtilentia graſſabatur, inteſtinis diſſidiis necdum compoſitis, ut etiam acies concurrerent. A. 1708. pars exercitus Reipublicae ſub Rybinio ad Skrzynno a Smigelſcio fuſa, at paulo poſt idem Rybinius cum Lituaniae Theſaurario Pocieio viceſima prima Novembris Palatinum Kiovienſem, qui adverſarum partium, ſub Koniecpole in palatinatu Lencicienſi profligavit (*). Attulit civili

vili

vili bello finem Augusti ex Saxonia reditus, cujus abdicationem leges & Respublica irritam declaraverant, indigna illa pace, ne quidem ab eo, qui ex suo commodo composuerat, servata. Sub initium Septembris a. 1709. palatinatum Posnaniensem cum duodecim millium exercitu ingreditur, ac Thorunium tendens, civitatem hanc quinta Octobris introit, multis Procerum & ex equestri ordine in via occurrentibus, quorum numerus Thorunii augetur. Venit eo post triduum Russorum Czarus, qui copias Saxonicas prope Svetzam metantes contemplatus, Mariae insulam cum Prussiae Rege collocuturus, hinc in Livoniam, Rex vero vicesima prima Novembris in Saxoniam proficiscitur: reditu in Poloniam Ordinibus litteris nunciato, qui ad magnum consilium, Varsaviae quarta Februarii sequentis anni inchoandum, vocabantur. Antea Thorunii legatus Tattaricus in amicitiae fidem missus auditur, cum Crassavius a Carolo suis partibus praesidio relictus, posse eas sustineri jam desperans, in Pomeraniam Svecicam recederet, Kioviae autem Palatinus praelio commisso, a Moscis Ungariam petere adigeretur. Inde nulla jam adversus Regem in tota Polonia arma, nisi quod Elbingam Svecicum praesidium insideret, quae a Moscis

AVGVSTVS II. 1709.

AVGVSTVS II. 1710.

ductu Nosticii, supremi vigilum praefecti, octavo Februarii 1710. impetu expugnata, praesidiariis captivitatem subeuntibus (**). In magno consilio Varsaviensi, iis quae olim Varsaviae, Mareschalco Petro Bronisz, ad nutum Regis Sveciae constituta, quaeque inde fluxerant, ac ipsa in veteri Ranstadio composita pace, quia juribus adversa, abrogatis, foedus Sendomiriense, leges, pacta conventa, & societas cum Russorum Czaro firmata; qui adversus Regem & Rempublicam hostibus se junxerant, in gratiam recepti; & ut copiae Saxonicae, quam primum fieri posset, in Saxoniam redirent sancitum. Neque stipendiorum militi Polono solvendorum, tum disciplinae omissa cura, repetitumque tributum, pro Rege Prussiae in comitiis Lublinensibus decretum, ut Elbingensis ager ejus potestati eximeretur (***). Finito decima sexta Aprilis magno consilio, Rex in Prussiam concessit, ac Mariaeburgi & Gedani per aliquod tempus egit, & ante anni exitum in Saxoniam profectus est. Prius Gedanensi civitati ad Regiam clementiam, qua invidorum artibus excidisse videbatur, patuit reditus, quae vicissim suam pietatem novo documento, sexcentorum florenorum millibus repraesentatis, probavit.

(*) ZALVS. 837-839. s. 852. s.

(**) LAM-

(**) LAMBERTI T.V.p.414. ſeq. ZALVS. T. III. p. 883. 892. 896. ZERNECKII *Chron. Thor.* p.421.422. FAMA EVROPAEA Part. 90.p.463. Part.92.p.623. Part.93.p.731. Part.94.p.785. Part. 95. p.891. Part. 98. p.156. PARTHENAY *Hiſt. Auguſt.* T. III. p. 245.ſeq.p. 263. 281. AVGVSTVS II. 1711.

(***) CONFIRM. GENER. foeder. Sendom. a. 1710.

§. XXXVII. Ne autem Sveci ex Pomerania Poloniam invaderent, Rex a. 1711. cum Saxonibus & Moſcis provinciam hanc ingreſſus, ut hoſtem domi attineret: quo anno Ruſſorum Czaro, bellum a Turcis ſibi illatum propulſandum erat, quod cum minus ex ſententia ſuccederet, opportune tamen ad Hieraſum fluvium pace componebatur. Haec ſequenti anno Conſtantinopoli repetita, & Poloniae mentionem faciebat, ut certo tempore copiae Ruſſicae regno excederent, neque redirent, niſi Sveci Poloniam aggreſſi, ſimul Moſcoviam armis peterent; Polonis etiam Ucrainae cis Boryſthenem pars cum illius tractus Coſacis asſerta. Neque in hoc diverſa erat tertia a. 1713. conventio, addito duorum menſium ſpatio, quo Ruſſi exirent, utque redituri ex Pomerania, ſemel tantum per extremos Poloniae limites ſua repeterent (*). Anno 1712. Comitia extraor- 1712.

 dinaria

AVGVSTVS II. 1712. dinaria duarum hebdomadum, quinta Aprilis inchoata, quae quicquid pro Rege & legibus in magno consilio ante biennium sancitum firmarunt; ac Russicarum copiarum, quibus jam tributa & commeatum exigere haud liceret, properum discessum; legationem ad Czarum, quae Livoniam & militem ex iis locis, quibus intra Regni & Lituanie fines praesidia imposita deduci, postularet; & ut ad aulam Turcicam, orator de instauranda pace Carolivicensi mitteretur, sanxerunt. Praeterea iis, qui adhuc in partibus Regis Sveciae erant, spatium sex hebdomadum concessum, quo omni suo statu salvo ad Rempublicam redirent. Plura quo minus constituerentur, tempore exclusi Ordines, comitia ad ultimam Decembris prorogarunt, ut novo eoque primo exemplo, Mareschalco & nunciis iisdem, consilia continuarentur finirenturque: quae autem decima septima Februarii sequentis anni contradictione abrumpebantur (**). Memorato anno 1712. Jo. Grudzinius, Ravensis praefectus, Svecicarum partium, facta ex Valachia in Podoliam irruptione, a Kalinovio repressus;
1714. post Sniatino in Pocutiae finibus movens, per Russiam rubram & palatinatum Cracoviensem cum sex circiter millium manu raptim in majorem Poloniam transiit:

iit: qui deleta ad Pisdrium legione Russica, & Squirzina, ubi hujus gentis praesidium, incensa, praesidiariisque in fugam actis, a Brzuchovio octoginta Poloni exercitus vexilla in eum ducente, ad Krotoczinum duodetricesima Junii profligabatur, ut ipse cum paucis in Silesiam fuga evaderet (***). Quod autem ad Russicas copias, illae ex Polonia in Pomeraniam Svecicam excesserunt, praesidiis ex civitatibus, quibus imposita, deductis. AVGVSTVS II. 1714.

(*) THEYLSII *Comment. ad historiam Caroli XII. pertinentes.* p. 17.46. 129. SCHMAVSII *Corpus Jur. gent.* p. 2468. 2471. LAMBERTI T. VI. p. 475. T. VII. p. 602.

(**) CONSTIT. a. 1712. p. 2. tit. *Utwierdzenie.* p. 5. tit. *Legacye.* p. 8. tit. *Odlozenie.*

(***) FAMA EVROPAEA Part. 131. p. 932. seq. 940.

§. XXXVIII. Ante finem a. 1712. venit Constantinopolim Stanisl. Chomentovius, Masoviae Palatinus, magnus ad Turcicam aulam legatus, qui effecit, ut vicesima secunda Aprilis a. 1714. pax Carolivicensis renovaretur: additis, ut liber Regi Sveciae per Poloniam in regnum suum esset transitus, & ne copiis Moscicis intra ejus fines consistendi facultas daretur. Tum Polonis, quibus aversus a Rege suo animus, & una ex rerum con-

AVGV- STVS II. 1715. versione spes fuerat, ex Turcia decedere injunctum, qui in patriam reverterunt, Augusto ad ignoscendum facili & obvio (*). Hoc anno redux ex Turcia in suam Pomeraniam Sveciae Rex novum adversus Polonos bellum moliebatur, cujus consilium frustra fuit, cum intra hanc provinciam clausus, Sundae a Regibus Daniae & Prussiae ac copiis Saxonicis obsideretur. Libera externo illo hoste, intestinis turbis agitari Polonia, causa a milite Saxone, quem incolae, quasi bello plane confecto, aegre ferebant, cum per oppida & vicos dispositus, commeatum & pecuniam exigeret. Poterat tamen ejus praesidium necessarium haberi, pace cum Rege Svecie nondum composita & mobili Turcorum Tattarorumque ingenio, qui pacta temeraturi, si quod ex bello commodum oblatum fuisset. Neque miles sine annona & stipendio ali & sustentari poterat, ab illis conferendo, in quorum auxilium accitus. Sed diversa erat Polonis mens, qui cum leniori modo onus amoliri se posse haud crederent, vi agere decreverunt. Hunc in finem Regni exercitus die decima Octobris a. 1715. sub Vladislao Gurzynio, & post illum, minoris Poloniae palatinatus Tarnogrodae, Stanislao Ledochovio, Succamerario Krzemenicensi, Mareschalco, foedus con-

contraxerunt, Saxones veluti publicos hoſtes perſecuturi: qui dum contractis copiis modo reſiſtunt, modo arma inferunt, bellum quaſi inteſtinum mutuis caedibus damnisque geritur, majore tamen Polonorum jactura, quod in eorum terris pugnabatur. Erant eo tempore Senatores aliquot, & ambo exercitus Poloni Duces, qui publica calamitate moti, conſilia de reſtituenda tranquillitate conferebant, eo fructu, ut conſtitutis induciis, de compoſitione Ravae, quod palatinatus Belzenſis oppidum, ageretur, cum antea Saxones undetriceſima Decembris Zamoiſcium ex improviſo cepiſſent. Habetur colloquium initio anni 1716. inter foederatorum & militis Saxonici legatos, Steph. Humiecio Podoliae, Franc. Zaluſcio Czernichovienſi Palatinis, & Comite Flemmingio, ſupremo exercitus Saxonici praefecto, pacificatoribus, & duodeviceſima Januarii, pax his potiſſimum legibus ſancitur: ut copiae Saxonicae, tempore a Rege ante proxima comitia conſtituendo, excedant, illisque interim a palatinatibus foederatis commeatus, aut pro eo pecunia, *fumalis* dicta, ex quovis fumario ſeptendecim *tymphones*, praeſtetur (**).

AVGVSTVS II. 1716.

(*) THEYLSII *Commen.* p. 63. 162. 163. 166.

(**) THEAT. BELLI *in Polonia clauſ.* p. 2-64.

§. XXXIX.

AVGV-STVS II. 1716. §. XXXIX. Non tamen a foederatis conventio haec rata habita, quod tempus quo exercitus Saxonicus dimittendus, regiae voluntati, nullo conſtituto die, permiſſum, & decreta pro illo pecunia diſpliceret. Inde ad arma reditum, auctaeque foederatorum vires, cum Poloni majores & Lituani, vinculo inter ſe juncti, pro eadem cauſa accederent. Tum pugnae vario marte ac ea omnia patrata, quae in bello fieri ſolent, quod inter infeſtiſſimos hoſtes, in externo regno non niſi vi ſubigendo, geritnr. Inter haec una erat Regi pacificationis cura, promittebatque edicto, copias Saxonicas deductum iri, tempore in congreſſu, qui de concordia haberetur, declarando, & domeſticam pacem propediem comitia ſecutura eſſe. Jungebant in eam rem Primas & Senatorum plurimi conſilia, ipſo Ruſſorum Czaro in reconciliandis animis operam ſuam offerente. Placuit conventum duodecima Junii Lublini inſtitui, ubi nomine Czari Gregorius, Princeps Dolgorukius, pro Rege Epiſcopus Cujavienſis Szanavius & Flemmingius Saxonici militis ſupremus praefectus, ac foederatorum oratores adfuerunt. Quarta Julii de induciis conſenſus, quarum ſpatio neque commeatus neque pecunia exigeretur, ac praeſidia Saxonum, Leopoli & Zamoiſcio, ſtatim

exce-

excederent. Cum autem a Saxonibus in palatinatu Sendomirienſi vetera tributa nondum praeſtita exigerentur, duriusque in Caſtellani Sochaczovienſis filium animadverteretur, graviter id nobilitatem commovit: quo tempore Posnania, ubi Saxones praeſidio, ductu Gniasdovii impetu capta & direpta. Idem Gniasdovius copias ſuas menſe Septembri in Pruſſiam duxit, quo hanc provinciam foederatis jungeret, quem Boſius cum parte exercitus Saxonici ſecutus, quinta Octobris ad Kovalevum, Palatinatus Culmenſis oppidum, acie fudit. Inter haec, congreſſu Lublinenſi irrito, actum de pace Caſimiriae, denique Varſaviae, ubi addito Regis oratoribus, Palatino Maſoviae, Stanislao Chomentovio, tertia Novembris negotium confectum, ita quidem, ut copiae Saxonicae, nunquam reducendae, ſtatim ex quo conventio ſubſcripta & probata, regno exirent, viginti quinque diebus in iter conceſſis, & foedera adverſus illas a nobilitate inita tollerentur, ad quae nullo tempore redire, aut nova jungere fas eſſet. His alia, de corporis Regii cuſtodibus; de Regis aula; de militia Regni & Litvaniae novo modo ordinanda; de judiciis in eos qui partibus Svecicis addicti; de exercitio ſacrorum diſſidentium; de Ducibus exercituum; de ſecuritate, poſſeſſionibus, foro,

AVGVSTVS II. 1716.

ro,

AVGV- STVS II. 1716. ro, debitis & jurejurando filiorum Joannis III; de incolis ad externam militiam non educendis; & de actorum venia adjiciebantur. Inserta etiam nonnulla, quae publicum jus illustrant, & Sendomiriense foedus, satis jam firmata securitate, abrogatum, simul tricesima Januarii dies sequentis anni constituta, qua exercitus Regni & Litvaniae suum vinculum solverent (*).

(*) THEAT. BELLI *in Polon. clauf.* p. 67. seq. LAMBERTI T. IX. p. 601. seq. TRACT. VARS. *in const.* a. 1717. ZINCKII *foeder. part. IV.* p. 133. SCHMAVSII *corp. jur. gent.* p. 1631.

1717. §. XL. Intestinis turbis pactione compositis, regni exercitus ad duodeviginti, Litvanus ad sex millia redactus, & militibus stipendia ex tributis, quovis semestri spatio pendendis, decreta. Tricesima Januarii a. 1717. pax a Rege & foederatis rata habita, & prima Februarii comitia novi generis secuta, cum ita convenisset, ut generalis foederatorum Mareschalcus Ledochovius, Mareschalci equestris ordinis, & Mareschalci minores ac consiliarii, nunciorum personas sustinerent. Leges etiam antea ab iis, quibus a Rege & foederatis data potestas, scriptae & in comitiis recitatae, nulla censendi aut contradicendi copia, probabantur. Inde con-

conventus ille uno die, intra ſeptem horas, finiebatur (*). AVGVSTVS II.

(*) CONSTIT. a. 1717. THEATR. BELLI *clauſ.* p. 224. ſeq.

§. XLI. Poſt Saxonum diſceſſum, ut idem a Moſcis, qui nuper in Regnum redierant, fieret, poſtulabatur. Ea de re in comitiis Grodnenſibus a. 1718. conſultatio, dataeque Regis & Ordinum nomine ad Czarum litterae, quas a. 1720. Chomentovius, Maſoviae Palatinus, legatus ſecutus, eo quidem fructu, ut Ruſſicae copiae ex Polonia revocarentur. Turn demum domeſticae quieti plene conſultum credebatur, externae pacis fiduciam attulit, mors Caroli XII. qui undecima Decembris a. 1718. in obſidione Fridericihalli in Norvegia occubuit. In regnum ſucceſſit ſoror Ulrica Eleonora, quae initio a. 1720. cum Rege inducias usque ad pacem fecit, etiam ſi pax non conſtitueretur, manſuras, addita conditione, Reginam Auguſtum II. verum habere Poloniae Regem, & poſt hujus mortem, eum quem Ordines electuri eſſent (*). Cum ſequenti anno inter Ruſſorum Czarum & Sveciae Regem pax conveniret, Poloniae ſimul inter conditiones facta mentio, ne ea hoſtium numero haberetur, Rege Sveciae ad compoſitionem, Czaro conciliatore, prom-

1718. 1720. 1721.

AVGVSTVS II. 1721. promto, ut primum locus, quo mittendi oratores, constitutus fuerit (**).

(*) ZINCKII *foedera part. IV.* p. 186. FAMA EVROP. part. 236. p. 712.

(**) ZINCKIVS l. c. p. 562. SCHMAVSII *corp. jur. gent.* p. 1856.

1724. §. XLII. Anno 1724. ortus ex levi causa, die decima septima Julii, Thorunii tumultus, qui exarsit adeo, ut plebs facto impetu in scholam & collegium Patrum S. I. irrumperet, & vim non uno modo exerceret, haud iis quae religio sacra habet abstinens. Missi a Rege, qui in facinus inquirerent, ex Senatorio & equestri ordine, ac causa a magno Cancellario Varsaviae tricesima Octobris judicata, cujus sententiam comitia probarunt, ac ut exerceretur, sanxerunt. Aderant qui in hanc rem ex Senatu & nobilitate delegati Thorunii mense Decembri, cujus septima die, morte damnati ultimum supplicium subierunt, poena hac Zerneckio, Consuli & civitatis propraesidi, ad Catholicorum ac S. I. Patrum preces, remissa. Urbi etiam irrogata, quibus culpam civium lueret & tranquillitati in posterum melius prospiceretur. Commovit illud negotium exteros Principes, qui per litteras & legationes pro Thoruniensibus fervide egerunt, ut novum bellum metueretur. Sed cum

expo-

expoſtulationes, ad amica colloquia deducerentur, aliaque paſſim inciderent, exagitati animi conſederunt (*). AVGVSTVS II. 1724.

(*) ZERNECKII *Chron. Thorun.* p. 445. ſeq. CONSTITVT. a. 1724. tit. *Securitas.*

§. XLIII. Mox novam conſiliis materiam Curlandi praebuerunt, Duci ſuo Ferdinando caelibi, ſeptuageſimum primum annum agenti, & ex ſtirpe Gotthardi Kettleri virilis ſexus ultimo, Mauritium Comitem Saxoniae, Regis filium minus legitimum, duodetriceſima Junii a. 1726. in Mutavienſi conventu, collatis ſuffragiis ſucceſſorem deſignantes. Aegre ferebant Rex & Ordines, Curlandos neglecto Regio interdicto, eligendi facultatem ſibi vindicaſſe, cum extincto ſine maſcula prole Ferdinando, Ducum regimen, Curlandia in formam provinciae Polonae ſalvis juribus ſuis redigenda, deſinere deberet. Quam ob rem in comitiis Grodnenſibus memorati anni, deſignatio ſucceſſoris irrita habita, & arctior poſt Ferdinandi mortem cum regno conjunctio, nova lege firmata eſt (*). In iisdem comitiis tribunalia in Polonia & Litvania aliter ordinata, ſimul comitia non finita in aliud tempus prorogare petitum: ex quorum genere praeſentia fuerant, quae Varſaviae a. 1724. coepta, poſt bienniumGrod- 1726.

AVGV- nae finiebantur (**). Peractis comitiis,
STVS II. Rex Grodna Varſaviam rediturus, in iti-
1726. nere morbo correptus, in vicum Bialoſtock divertere adigebatur. Erat gangraena in ſiniſtro pede, quae mortem allatura videbatur, ut Princeps, quaſi jam de vita actum, extrema cogitaret. Sed reſciſſis quae maxime corrupta, conva-
1727. luit, ac Februario anni 1727. Varſaviam venit, ſumma gratulatione exceptus. Hinc poſt binos menſes in Saxoniam conceſſit, ut valetudinem medicamentis fulciret: quo tempore illi, quibus ex Senatorio & equeſtri ordine id publice injunctum, profecti in Curlandiam, modum regiminis conſtituerunt, qui obtineret, ſi quando cum Ferdinando maſcula Ducum ſtirps finiretur (***).

(*) CONSTIT. a. 1726. tit. *Diploma*. tit. *Xięſtwo.*

(**) CONSTIT. tit. *Tribunał głowny Koron.* tit. *Tribunał głowny W. X. Lit.* tit. *Securitas Seymow*,

(***) CONSTIT. a. 1726. tit. *Xięſtwo.* PARTHENAY *Hiſt. Aug. II.* T. IV. p. 198. ſeq.

1728. §. XLIV. Recrudeſcens in ſiniſtro pede malum, Regem a. 1728. in Saxonia detinuit, quod agitationem & alia itineris incommoda ferre non poſſet. Quam ob rem indicta Grodnam comitia in aliud tempus differebantur. Eodem anno ambo

ambo Duces exercitus Poloni mortui, AVGV-
quorum minor StanislausChomentovius, STVS II.
ſimul PalatinusMaſoviae,praeceſſit,quem 1728.
ſupremus ac Palatinus Belzenſis, Staniſl.
Rzevuſcius, poſt tres circiter menſes ſecutus. Pro his, dum novos in comitiis crearet Duces, Rex Stanislaum Poniatovium, Lituaniae Theſaurarium, exercitui legatum, RegimentariumPoloni vocant,praefecit. Lituanicarum copiarum vicarium
regimen a. 1730. Principi Michaeli Wis- 1729-
nioviecio, magniDucatusCancellario,col- 1732.
latum eſt, Ludov. Pociejo ſupremo Praefecto, poſt minorem Staniſl. Denhofium, vita functo. Comitia autem, quae a. 1729. Grodnae viceſima ſecunda Auguſti inchoata, ante Mareſchalci electionem irrita fuerunt: neque alius ſucceſſus iis contigit, quae a. 1730. pariter Grodnae, & a. 1732. Varſaviae coeperunt, partium ſtudiis publicis conſiliis intercedentibus. Praeceſſerat proximo anno, die viceſima quinta Februarii, Varſaviae beneficiaria inauguratio Ferdinandi DucisCurlandiae, in legato ſuo Frid. Gotth. Bulavio, datumque provectiori Ducis aetati ac meritis, ut per oratorem hoc ritu defungeretur (*). Hic ne civium votis deeſſet, a. 1730. matrimonium Joannae Magdalenae, Joannis Georgii, Saxoniae Ducis Weiſſenfelſae ſtirpis filiae, pactus, ut ſui ſanguinis ſucceſſorem relinqueret.

AVGV- (*) CONSTIT. a. 1726. *Xięstwo.*

STVS II. §. XLV. Rex a. 1732. menſe Au-

1732. guſto, ad Villam novam prope Varſaviam, apparatiſſimum ſpectaculum, in Polonia ante non viſum exhibuit, cum copias more Germanorum militantes in caſtra contractas, tres hebdomades luſtraret, ac praeliorum ſimulacris exerceret: ubi praeter militum induſtriam & agilitatem, Principis magnificentia & ingenium late oſtentabatur, prima poſt ipſum, penes Poniatovium, Maſoviae Palatinum & *Regimentarium*, cura. Meditationem hanc campeſtrem, pacis cum Rege Sveciae firmandae negotium excepit, & poſt colloquia cum illius legato, Octobri convenit, ut quae olim pactis conſtituta amicitia, ſancte ſervaretur, mutuis damnis oblivioni tradendis, ac ſi bellum nullum interceſſiſſet. Eundem in modum cum Rege, qua Electore Saxoniae, a. 1729. transactum erat (*).

(*) FAM. EVROPAEA part. 344. p. 660. ſeq. SCHMAVSII *Corpus jur. gent.* p. 2121. ſeq.

1733. §. XLVI. Poſt quatuor comitia, quorum una non coepta, tria ante Mareſchalci electionem irrita fuerant, quinta ad viceſimam ſextam Januarii a. 1733. Varſaviam indicebantur. In his, ardor pro publica re, ſi unquam alias, multum

emi-

eminuit, Ozarovio, Regni caſtrorum metatore, altero die in Mareſchalcum electo, ac ſignis aliis, ex quibus ſalutaris conſiliorum finis colligi poterat. Verum pulchra haec initia, Regis mors vana reddidit, qui prima Februarii regnum ſuum, cum in annum triceſimum ſextum praefuiſſet, aetatis tertio & ſexageſimo finiit. Profectus Januario ex Saxonia, ut ante comitiorum diem Varſaviae eſſet, decima ſexta advenit, in palatio ſuo ante urbem ſubſiſtens. Ibi novus ex veteri morbo in ſiniſtro pede dolor, tum febris, & gangraena toto femore, ut malum jam inſuperabile eſſet, & Rex animam placide redderet. Fuit Auguſtus II. in utraque fortuna vere magnus, quem ſplendor in omni vita, clementia, liberalitas, inter ſui aevi Principes extulerunt, quemque nulla non poſteritas celebrabit, a civibus ſuis communis Parens habitus. Uxor ejus Chriſtina Eberhardina, Chriſtiani Erneſti, Marchionis ex Brandenburgicis Baruthani filia, rarae pietatis exemplum, a. 1727. defuncta, ex qua unicum filium FRIDERICVM AVGVSTVM Polonis & Saxonibus reliquit, ne deſideraretur.

AVGVSTVS II. 1733.

AVGV-
STVS III.
1733.

CAP. IX.
DE
AVGVSTO III.

§. I.

Funesta potest dici Augusti II. mors, non civibus solum, sed simul exteris, cum Poloniam turbis, & praeter hanc magnam Europae partem atroci bello involverit. Supererat Stanislaus, quem olim pauci contra fidem & jurisjurandi religionem, in Augusti II. injuriam, Rege Sveciae jubente, ad regiam dignitatem evexerant, quique regio titulo insignis, extra patriam multos jam annos egerat: quo spatio ipsi praecipuum decus accessit, unica ejus filia a Rege Galliarum in matrimonium recepta. Sic magni Regis socer, regni Poloni jam vacui candidatum se profitebatur, cujus titulum triginta fere annos gesserat, sperabatque electionis suae successum, cum multos in Polonia haberet cognatos amicosque, & a Rege Galliarum commendatione & opibus juvaretur.

§. II. Et civium erga eum studium in comitiis convocationis, vicesima septima Aprilis 1733. coeptis, patuit, quorum pars effecit, ut sanciretur, non alium Regem nisi natione verum Polonum, Roma-

num

num catholicum, ex utrisque parentibus illius religionis genitum, nullas regiones, nullas provincias haereditarias, nec exercitum extra fines Poloniae habentem, una cum Regina catholica eligere (*): quae omnia cum Stanislao convenirent, huic viam ad dignitatem regiam muniebant, Regio autem Principi Electori Saxoniae, praecludere videbantur. Legis illius, si modo lex nominanda, quam aversabantur multi, praecipuus auctor, Regni Primas, Theodorus Potocius, habebatur, qui etiam obtinuit, ut eadem jurejurando firmaretur (**): querentibus non paucis, extortum sibi hoc fuisse jusjurandum, neque dissentire licuisse, ex quorum numero, cum Senatores tum nuntii diversam suam mentem declarare non veriti, electione Regis libera & antiquis de illa legibus salvis, *confoederationi* subscribentes. Imo cum distracti olim Ordines ad unum pro Republica sensum rediissent, & in comitiis a. 1736. scriptam in convocatione *confoederationem* retractarent, omissum, quicquid tum de Rege eligendo & jurejurando in electionem ejus, non omnes sanxerant.

AVGVSTVS III. 1733.

(*) CONFOED. GENER. a. 1733. p. 2. §. *Pro firmamento.* ROVSSET *Collect. actorum* T. IX. p. 139. §. 5.

AVGV-STVS III. 1733.

(**) CONFOEDER. GENER. p. 9. 10. §. Co wſzyſtko &ſeq. ROVSSET l.c.p. 149-151.

§. III. Eadem convocationis comitia *diſſidentibus* de religione chriſtiana admodum adverſa erant. Primo ſtatim nuntiorum conſeſſu, coepit de illorum inter nuntios loco controverſia, tanto quidem fervore, ut minaces audirentur voces, proiiciendos ex feneſtris, ne ſponte conclavi exirent. Triduum de hoc ante novi Mareſchalci electionem diſceptatum, de quo creando cum vetus Mareſchalcus ſententias rogaret, *diſſidentes* praeteriti, qui poſt interceſſionem ex conclavi abierunt: quod tamen nihil profuit, negata illis contradicendi auctoritate, potius iis abſentibus decretum, ut ſalva ſecundum antiquas *confoederationes* pace & ſecuritate bonorum ac fortunarum, nec non aequalitate perſonarum, in nuntiorum conclavi, in tribunalibus, ac judiciis recuperatoriis ſeu *commiſſionibus* facultate cenſendi careant, nullos privatos congreſſus habeant, ad nulla munia Regni & Litvaniae, aut palatinatuum ſive terreſtria ſive caſtrenſia, manentibus in iis qui ea in praeſens tenerent, evehantur, & ne per ſe & Miniſtros apud exteros Principes patrocinium quaerant, niſi poenas perduellium luere velint (*).

X

(*) CON-

(*) CONFOED. GENER. p. 2. §. *Dissidentibus jednak.* ROVSSET l. c. p. 138. §. 2.

AVGVSTVS III. 1733.

§. IV. Spatium inter comitia convocationis, die 24 Maji mane finita, & electionis ad diem vicesimam quintam Augusti indicta, serviebat illis, qui Stanislao regnum destinaverant, ut partes pro illo augerent, quibus resistebant, qui Saxoniae Electorem Fridericum Augustum malebant: non enim praeter duos hos, alii dignitatis regiae candidati ferebantur. Et amicos prioris parum provide egisse creditum, quod cum a. 1716. compositione Varsaviensi, pro publica lege habita, beneficii *amnestiae* exsors poenis legum relinqueretur, nisi intra trimestre tempus in patriam redierit (*), illi eum hoc totius Reipublicae decreto non solverint, quo ligatus Regnum petere haud poterat. Electorem contra Saxoniae, praeter paterna in omnem Rempublicam merita & in singulos beneficia, virtutes regiae, opes, & plura alia summo fastigio digna commendabant: quibus unum illud de solo Polono eligendo scitum, per se invalidum, opponebatur: cui tamen tanta asserebatur auctoritas, ut ad electionem Regis admitti haud deberet, qui in illud non jurasset (**).

 (*) TRACT.

AVGVSTVS III. 1733.

(*) TRACT. VARSAV. a. 1716. art. 8. §. 4. CONSTIT. a. 1717.

(**) CONFOED. a. 1733. p. 10. §. *A żeby.* ROVSSET l.c.p. 151. §. 22.

§. V. Multum tamen Caesaris Germanorum & Russorum Augustae intererat, ne quis, cui arctior cum Rege Galliae intercederet necessitudo, Poloniae regnum capesseret, & quod ad Stanislaum sigillatim, Russorum Augustae ex compositione Varsaviensi, cujus conciliator ac sponsor Petrus I. fuerat, curandum, ne ille quem compositio proscripserat, patriae redditus in solium extolleretur. Qua de causa, qui inter Polonos a Stanislao alieni, Augustam Russorum potissimum respiciebant, confisi, non permissuram, ut pactione Varsaviensi irrita, invitis imponeretur Princeps, quem leges arcerent, cum & Ipsa & Caesar & Prussiae Rex de asserenda libera electione inter se convenissent. In hunc finem copias suas, ad quorundam Procerum preces Augusta finibus Litvaniae admovebat, nec minus Caesar in Silesia ante Augusti II. mortem, ab Optimatibus nonnullis Regi suo haud aequis rogatus, cum & inter ipsum Caesarem ac Augustum II. simultas esset, modicum exercitum contraxerat, qui instaurata inter

ter Caesarem & novum Electorem Saxoniae amicitia augebatur, ut liberam electionem tuituris praesidio esset. Adversus haec exterorum Principum auxilia, Stanislai amicis ad Regis Galliae opem perfugium erat, quam ejus legatus, Marchio de Monti, pro suffragandi libertate promtam Varsaviae declarabat, cum & illi qui unum Regis Gallici socerum electioni destinaverant, sua suffragia eaque sola libera appellarent. Jaciebantur etiam sermones de Svecis, Turcis & Tattaris, qvasi in eandem causam descensuri essent, ubi ab exteris vis pararetur: & ut de Regis Galliae mente minus dubitarent, Is per suos legatos in diversorum Principum aulis demonstrabat, se liberam Polonorum electionem, quam Caesar contracto in Silesia exercitu turbare vellet, omnibus modis asserturum esse. Contra Russorum Augusta, paullo ante electionis comitia, Primatem litteris monebat, ne Stanislaus Rex crearetur, addita comminatione, pro hostibus habitum iri qui id ausuri essent.

AVGVSTVS III. 1733.

§. VI. Cum ergo neque exteri Principes, neque ipsi Poloni de Regni candidato convenirent, electionis comitia constituto vicesimo quinto Augusti die coeperunt, & post contentiones de jurejurando in eligendum Regem ac Mareschal-

AVGV- STVS III. 1733. reſchalco Nuntiorum creando, Franciſcus Radzevius, Succamerarius Poſnanienſis, quia collatis in ipſum ſuffragiis ſuperior, munus hoc ſecunda Septembris obtinuit: id quidem ex ſententia eorum, qui pro Stanislao nitebantur, quia Radzevius, candidati hujus cognatus, earundem partium erat, quas certus jam de ingreſſu Ruſſicarum copiarum in Litvaniam nuntius admodum turbavit. Cum enim jam ſatis pateret, multos non alium, niſi Stanislaum Regem velle, ac ad unum id efficiendum conſilia ſua jungere, fine menſis Auguſti Ruſſicus exercitus, Laſcio Duce, Litvaniam intravit, ut ejus electionem impediret, contra eos, qui pro ſuffragandi libertate & legum auctoritate praeſidium ejus invocaſſent, tutaretur. Sed nomine Ordinum, de hoc Ruſſorum in Litvaniam ingreſſu, ſimul de violatis juribus & pactis, publico ſcripto gravis querela prodiit, & vita opibusque in juſtam defenſionem magno animo oblatis, hoſtes patriae & poenis perduellium obnoxii judicati, qui vel Ruſſos advocaſſent, vel quibus cum illis commercium aliquod intercederet (*). Quo die, qui Septembris quartus erat, Gallicus legatus litteris Regis ſui ſocerum palam commendavit, promittens ejus nomine, ſi eligeretur, dignitatem ei

colla-

collatam ſe ſuis opibus tuiturum, & ſi ea ex cauſa arma Regno inferrentur, pecuniam in militem, ſi vero nullae ſequerentur turbae, exercitibus Regni & Litvaniae duos annos ſolitum ſtipendium, pro equeſtri ordine numeraturum eſſe (**). AVGVSTVS III. 1733.

(*) ROVSSET l. c. p. 219 - 226.

(**) ROVSSET l. c. p. 226. 227.

§. VII. Ex eo tempore jam palam omnis de Stanislao ſermo, unus ille oſtentari & ſolio Polono dignus haberi, ut alium praeferre periculoſum eſſet. Multis diſplicuit hoc partium ſtudium, primusque exceſſit comitio & campo Princeps Michael Wisnioviecius, magnus Litvaniae Cancellarius exercitusque Litvani Dux vicarius, quem *Regimentarium* vocant, ac ſe trans Viſtulam Pragam contulit, quo ipſum ex nobilitate magnus numerus comitabatur. Nam praeter quod eum male habebat diſſentiendi libertatem eripi, injuriam ferre non poterat, cum Ruſſos acciviſſe a nobili quodam impune argueretur. Brevi, non uno tamen die, Posnanienſis Epiſcopus, Caſtellanus Cracovienſis, Palatini Cracovienſis, Trocenſis, Junivladislavienſis, Novogrodenſis, Podlachienſis, Culmenſis, Minſcenſis & Czernichovienſis,

AVGVSTVS III. 1733.

ſis, Caſtellani Lencicienſis, Breſtianenſis, Mſcislavienſis, Radomienſis, & Santocenſis, Mareſchalcus curiae Litvanae, & praeter hos Senatores, multi equeſtris ordinis Pragam ſequebantur, ut Ordines qui animo diverſi adhuc fuerant, jam locis disjungerentur, non paucis etiam in campo manentibus, qui averſam a Stanislao mentem retinerent.

§. VIII. Interea Stanislaus votis ſuorum expetitus, Varſaviam nona Septembris clam venerat, cum tamen lex candidatum a loco electionis abeſſe jubeat. Profectus ille Auguſto menſe ex Gallia, iter per Germaniam cum uno comite Dandelotio, qui mercatorem ſimulans, Stanislaum pro homine ſub ſe negotium exercente habuit, confecit, & a Gallici in Polonia legati patruele, Montio juniore, Francofurto ad Viadrum, ubi eum exſpectaverat, Varſaviam deductus eſt. (*) Magna eum exceperunt gratulatione amici, totusque in eo Primas, ut quam primum Regem declararet, precibus & promiſſis fruſtra eos qui Pragae congregati erant tentans, ut reverſi in campum ſua ſuffragia jungerent. Undecima & ſequenti Septembris die, Primas palatinatus, non tamen omnes, circumequitans, rogavit ſententias, an Stanislaum Regem vellent, cum non alium

niſi

nisi hunc unum candidatum nominaret: & statim tum in palatinatibus, tum a multitudine qua Primas stipatus erat, acclamatum: *Vivat Stanislaus;* non auditis iis, qui vel alium candidatum mallent, vel illius electioni contradicerent. Sola superesse videbatur renuntiatio, cui Palatinus Sendomiriensis intercedebat, nisi qui Pragae aberant, post reditum suum in campum electionem probassent. Missi ergo ad eos Episcopus Chelmensis, Castellanus Plocensis & tres equestris ordinis, invitatus pariter Cracoviensis Episcopus, qui cum Stanislai electioni contradixisset, in suo se palatio tenebat. Sed legati nondum mandatum Pragae exposuerant, cum Primas incitatus ab iis qui ferventiores, die duodecima Septembris hora quarta post meridiem Stanislaum Regem Poloniae renuntiaret. Tum illa fiebant, quae peracta electione fieri solent, & antequam e campo iretur in urbem, ligneum in comitio aedificium exustum, ac vallum quo comitium cinctum disiectum, ne loco illo alius Rex crearetur. Qui vero in electionem non consenserant, aut cum Episcopo Cracoviensi & Palatino Sendomiriensi Pragam petierunt, aut re veluti infecta domum redierunt, postquam contradictionem suam actis publicis inseri curassent.

AVGVSTVS III.
1733.

Seque-

AVGVSTVS III. 1733. Sequebatur die decima quarta Septembris, omnium qui Pragae erant nomine, contradictio, a quibus ſilentio non transmiſſa, quae contra eligendi libertatem patrata erant (**).

(*) FAMA EVROP. part. 351. p. 221 - 223.

(**) FAMA EVROP. part. c. p. 228 - 233. ROVSSET l. c. p. 228 - 233. *Falſitas narrationis de electione Stanislai.*

§. IX. Ita Ordines in duas partes diſtracti erant, appellabimusque Pragenſes qui Pragam conceſſerant, & Stanislaiſtas qui Stanislaum elegerant, quorum illi Rempublicam, ſed Rege ſuo orbam, repraeſentantes, de eligendo Principe cogitabant, hi jam electo laetabantur, qui ut ab omnibus coleretur, id quidem cum rationibus, tum vi efficere non deſperabant. Verum res aliter cecidit, Pragenſes enim, qui in ſuo conſilio perſtantes, ne ab immiſſis in ſe adverſariorum copiis opprimerentur, Vengroviam receſſerunt, unde Pragam regreſſi, exercitu Ruſſico in ſubſidium feſtinante, qui viginti quinque millium ſub Laſcio per Litvaniam Poloniam ingreſſus, viceſima tertia Septembris in Podlachia prope Tycoczinum aderat, cujusque primum agmen viceſima nona illius menſis in ulteriore Viſtulae ripa con-

consistebat. Antea Stanislaus, pactis suis conventis undevicesima Septembris jurejurando firmatis, Varsaviae haud tutum se credens, cum Regni Primate nonnullisque Proceribus, ac Regum Galliae & Sveciae legatis, vicesima secunda Septembris Gedanum abiit, Palatino Kioviae Potocio, quem *Regimentarium* exercitus Poloni creaverat, & Palatino Lublinensi Tarlo, cum militibus Varsaviae relictis. Hi Russos & Saxones in numero hostium habentes, aedibus, quas habitabat legatus Augustae Russorum, vi illata, defuncti Regis palatium per haereditatem in filium, Saxoniae Electorem, transmissum, quod ejus legati colebant, & in quo quidam aulici & septuaginta circiter dimachae erant, absentibus tum legatis, vi oppugnabant, & post defensionem ad deditionem, qua incolumis dimachis concedebatur abitus, subigebant.

AVGVSTVS III. 1733.

§. X. Sed Pragenses, gravius interea totique Reipublicae salutare opus agitabant, animis in electionem novi Regis conversis. Post reditum enim Pragam, in campum prope Kamien vicum, electione Henrici nobilitatum, confluxerunt, ubi Antonio Poninscio, Regni *Instigatore*, Marschalco electo, in unum Electorem Saxoniae, die 5 Octobris, qui

AVGV- comitiorum electionis, a Primate olim in-
STVS III. dictorum, ultimus erat, collata suffragia,
1733. isque voce Posnaniensis Episcopi Stanisl. Josephi Hosii, Rex Poloniae & magnus Dux Litvaniae, contradicente nemine renuntiatus est. Secutum statim pro novo Rege & regni juribus foedus, cui idem Poninscius Mareschalcus praepositus est.

§. XI. Nona Octobris copiae Russicae sub Lascio, ponte navali Vistulae imposito Varsaviam petierunt, quam urbem Potocius & caeteri Stanislaistae paulo ante deseruerant, & totus Russorum exercitus in circumjacenti agro castra posuit. Qvi Electorem Saxoniae Regem creaverant duodecima secuti, ac in arce per eos, qui ad hoc negotium constituti, cum novi Regis legatis de pactis conventis egerunt. Miserat Elector Comitem de Wakerbarth Salmurium & Baronem a Baudissin legatos, qui scripto Principem suum commendaverant, cum voce id non liceret, & qui se in aedes legati Caesaris receperant, cum jus gentium non satis tutos in regio palatio praestaret. Sed post memoratam rerum conversionem, pro dignitate honorifice habiti ac in arcem deducti, ubi mandatis expositis, die 1. Novembris pactis quae convenerant subscripserunt,

& ea in aede D. Joannis, pro Rege electo jurejurando confirmarunt: quo facto, a tota concione, Episcopo Cracoviensi & foederis Mareschalco praeeuntibus, *vivat Augustus III.* acclamatum, ac Dei munus sollemni Ambrosii hymno celebratum est.

AVGVSTVS III. 1733.

§. XII. Continent autem pacta illa, partim vetera jam cum prioribus Regibus constituta: de libera Regum electione; de Regis & Reginae catholica religione; de pace *dissidentium*; de Graecis *unitis* & non *unitis*; de *Mennonistis Anabaptistis* & *Qvakeris*; de aequalitate inter Regni cives; de Regis bonis haereditariis; de ejus jurejurando & pactis conventis in singulis comitiis recitandis; de jurejurando & promissionibus Regi a privatis factis; de supremis ministeriis & aliis dignitatibus, tum *capitaneatibus* & *tenutis* conferendis; de juribus suis cuivis dignitati servandis; de muniis *incompatibilibus*; de sigillo cubiculari; de usu latinae & polonae lingvae publico; de foederibus externorum Principum; de avulsis; de legationibus; de jure Patronatus; de indigenatu & nobilitate; de extraneis; de Reginae aula, & ne publicorum negotiorum consors sit; de Zatoriensium & Osviecimensium a teloniis immunitate; de Prussiae indigenatu; de judiciis;

AVGVSTVS III. 1733.

diciis; de bonis menſae regiae; de *oeconomia* in apparatum bellicum; de militibus; de redimendo Drahimo; de controverſiis cum Rege Pruſſiae; de juribus Lauenburgenſium & Butavienſium; de ſale quartuali ſeu trimeſtri; de fodinis in bonis terreſtribus; de moneta; de theſauro regni aperiendo; de menſibus militaribus; de theſaurariatu curiae; de juribus academiae Cracovienſis; de Cracovia in meliorem ſtatum reſtituenda; & de juribus omnibus ſervandis: partim nova addita ſunt: de *advocatiis* ſeorſum & nonnullis plebeiis conferendis; de Palatino Culmenſi novo capitaneatu augendo; de theſaurariatibus plus offerentibus mandandis; de controverſiis cum vicinis componendis; de renovatis cum Caeſare pactis in comitiis firmandis; de pacanda Republica; de nominando in Cardinalatum candidato; de controverſiis cum Papa; de Reginae dotalitio; de corporis cuſtodia & cancellaria Saxonica; de Principe Regio Jacobo; de ſalvis conductibus & nobilium carcere; de ſervandis privilegiis; de Pruſſorum a vectigalibus immunitate; de tuenda noviſſima ordinatione militari; de augendis militibus & eorum diſciplina; de redimendo agro Elbingenſi & ſervandis templis catholicis in Pruſſia Brandenburgica;

gica; de obedientia a Curlandis Duci ſuo praeſtanda, & Ducatu hoc non a Regno avellendo; de ſalifodina Cunigunda; de fodinis Olcuſſienſibus; de profectione Regis in Saxoniam; de privilegiis abbatiarum Olivenſis & Pelplinenſis; de ſummis Neapolitanis obtinendis; de juribus academiae Vilnenſis, collegii Polocenſis & civitatis Varſavienſis; de Tattaris Litvanis, & controverſiis cum Caeſare ob fines intercedentibus (*).

AVGVSTVS III. 1733.

(*) CONSTIT. a. 1736. p. 53. & ſeq.

§. XIII. Jam Regis praeſentia deſiderabatur, ut ſollemni more inauguratus regimen ſuſciperet. Ingreſſus iter Dresda nona Decembris, venit decima quinta Oppoliam, quo Regina cum altero filio Principe Xaverio, ſerius Dresda profecta, ſequebatur. Ambo cum tota aula Tarnovicum progreſſi, ab Epiſcopo Cracovienſi, qui magnae legationis, Regi ut in Poloniam invitaretur obviam miſſae caput, ſexta Januarii ſalutabantur, qua die Rex in aede primaria in pacta conventa juravit (*), & octava inde movens, decima quarta, recepto antea ab Epiſcopo Poſnanienſi & foederis Mareſchalco electionis diplomate, Cracoviam magna pompa eques introiit, ac die conſtituta, quae decima ſeptima Januarii

1734.

 erat

AVGVSTVS III. 1734.

erat cum Regina ab Episcopo Cracoviensi regiis insignibus condecoratus est: Augusti II. & Joannis III. cujus corpus Varsaviae insepultum in hoc usque interregnum manserat, simul ejus conjugis Mariae Casimirae, exsequiis decima quarta celebratis (**).

(*) CONSTIT. a. 1736. p. 73.

(**) CONSTIT. a. 1736. p. 82. 83.

§. XIV. Tum regimen Augustus III. iniit, in cujus nomen, post urbem Cracoviensem, decima nona Januarii Senatores & nobiles, qui praesentes, jurarunt: qua die inchoari debebant comitia, sed quae antequam inchoarentur in aliud tempus ob Nuntiorum infrequentiam differri placuit, cum infestantibus itinera qui adversarum partium, neque litterae quibus ad comitia vocabatur nobilitas ad omnes palatinatus deferri, neque in omnibus ad quos delatae conventus minores haberi, neque ex illis palatinatibus & terris ubi habiti, Nuntii tuto Cracoviam proficisci potuissent. Pro comitiis ergo foedus nuper post electionem Regis factum repetitum, ad religionem, Regis majestatem, & jura tutanda, additis aliis, quae in praesens opportuna videbantur. Rex autem mense Martio Saxoniam repetebat, cum antea Ada-

mum

mum Stan. Grabovium, declaratum a se Episcopum Culmensem, Romam ad Papam legatum misisset. AVGVSTVS III. 1734.

§. XV. Parum profuit ad concordiam, Augustum III. regnare, cum Stanislao addicti, hunc a se electum Regem, quamvis non inauguratum, praeferrent. Pro eo passim foedera fieri; undique nobilitas exciri; Polonus Litvanusque exercitus contrahi; novi milites scribi; & caetera quae solent, ubi bellum vel imminet vel fervet, parari, Rege Galliae pecuniam large suppeditante. Praecipui erant Duces, Palatinus Kioviensis Jos. Potocius, Anton. Poceius, ille Poloni hic Litvani exercitus a suo Rege constitutus *Regimentarius*, Jo. Tarlo Palatinus Sendomiriensis, & Rudzinius Castellanus Czerscensis, per Poloniam & Litvaniam arma circumferentes, donec ea ponerent. Sed non minus Augustum tuebantur, qui illum Regem suum colebant, quibusque praeter Russicas, Saxonicae copiae, quas Rex paulo ante suum adventum, Republica flagitante, in Poloniam miserat, aderant, adversa parte Gallos, Svecos, ipsosque Tataros in subsidium sibi venturos sperante. Hoc modo Polonia intestini belli sedes evasit, cujus successum Stanislaus Gedani exspectabat: Quae urbs statim ad nuntium

AVGVSTVS III. 1734.

illorum, qui ipſum Regem creaverant, acceſſerat, electione quaſi ab omnibus rite peracta, & multitudine Senatorum nobiliumque Pragae conſultantium nihil contra auſura. Venit Gedanum ſecunda Octobris ex improviſo Stanislaus, ſine apparatu principali, habitu peregrinantis, rheda vectus & non agnitus, cujus adventus, cum adeſſe conſtaret, cives futuri ignaros ac incurioſos ſummo gaudio affecit, publicae non minus laetitiae ſignis editis. Non turbavit animos Auguſti electio, & poſt electionem inauguratio, ſed amor conſilio praevalens, commodorum ſpes, auxilii ex Gallia & Svecia juſto tempore & brevi adfuturi fiducia, & defenſi ſervatique Principis aeterna gloria, impulerunt ejus cauſam ſuſcipere, imo obſidionem, ſi ſubeunda, cujus tamen metus pro vano habebatur, non detrectare. Tum in civitate omnia belli apparatu ſtrepere, opera refici & nova fieri, praeſidium augeri, milites Polonos intra munitiones recipi, cives & omnis generis homines armari, tormenta, ubi non erant, diſponi, & nihil omnino quod ad ſuſtinendam arcendamque vim, omitti. Initio Februarii primum Ruſſorum agmen agrum Gedanenſem ingrediebatur & ſequenti menſe incipiebat urbis obſidio, quo etiam

ſummus

ſummus, copiarum Dux, qui *generalis campi Mareſchalcus* vocabatur, Münnichius in caſtra veniebat, manente ſimul Laſcio, penes quem adhuc praecipuum imperium fuerat. Fiebant quae in obſidionibus fieri ſolent, hoſte urbem tormentis mortariisque oppugnante. Nona Maji circa mediam noctem, in munitionem juxta montem cui ab *Hagelo* nomen eſt, impetus factus, qui ſi ſucceſſiſſet urbis deditionem feſtinaſſet, ſed magna ſuorum clade rejecti hoſtes, ut praeter ſaucios ſupra tria millia occubuiſſe dicerentur. Ante illius menſis finem copiae Saxonicae ſub Principe Weiſſenfelſenſi acceſſerunt, obſidionem cum Ruſſis continuaturae: & pro integro exercitu, quem cum numeroſa claſſe ex Gallia Gedanenſes ſperaverant, duo millia ad propugnaculum Mündenſe, Viſtulae oſtio adiacens, ex navibus quibus vecta exſcenderunt, unde nullum obſeſſis ſubſidium, ſed modica illa auxiliarium manus ab hoſte ad eas neceſſitates adacta, ut incolumen abitum ſibi paciſceretur. Praeceſſerat hanc conventionem Ruſſicae claſſis viginti quinque navium duodecimo Junii adventus, & viceſimo quarto propugnaculi Mündenſis deditio ſecuta, cui praeſidium Saxonicum impoſitum, & Gedanenſe, poſtquam exceſſerat, in verba Regis

AVGVSTVS III. 1734.

AVGVSTVS III. 1734. Augusti juravit. Ultimo ejusdem mensis arma in urbem cessarunt, & nona Julii finem obsidioni pactio attulit, qua Gedanum juribus suis salvis omnique statu incolumi, in ditionem Augusti III. concessit, & adversarum partium minus cautum studium pecunia luit. Antea Stanislaus vicesimo septimo Junii media nocte clam ex urbe in Prussiam Brandenburgicam incolumis evasit, & Senatores nobilesque, qui fortunam ejus Gedanum usque secuti, ab Augusto in gratiam recepti, praeter Primatem, qui Regem colere tergiversatus quem ipse non renuntiasset, & Radzevium, in electione Stanislai nuntiorum Mareschalcum, quos captivos Russi detinuerunt: quam sortem etiam legatus Gallicus subiit, a Russis non pro legato, sed viro militari & hoste infensissimo habitus.

§. XVI. Decima nona Julii Rex Dresda in monasterium Olivense prope Gedanum venit, ubi lustrato Russico & Saxonico exercitu, Gedanenses culpam deprecantes, fidemque & obsequium profitentes auditi, Regni autem Senatores nobilesque cum Regi ad formulam pro tempore scriptam jurassent, foederi pro Ejus Majestate accesserunt quibus cum aliisque vicesimo nono & tricesimo Julii consilium habitum. Urbem, invi-

invitatus quamvis, Rex non introiit, sed tricesima Julii in Saxoniam revertit, Episcopus tamen Cracoviensis Lipscius, qui simul Regni Procancellarius, secunda Augusti Gedanum ingressus, pro Rege sollemne jusjurandum excepit. AVGVSTVS III. 1734.

§. XVII. Cum Gedano recepto Rex pacare Poloniam pergeret, non derant qui obnitendo turbas alerent, postquam Stanislaus de cujus fuga antea memoratum, incolumis Regiummontem evasisset, quo praeter alios, Palatini Pomeraniae & Livoniae ac supremus Regni Thesaurarius, cum tamen nuper in Olivensi monasterio Augusto III. jurassent, se contulerant, caeteris qui per Poloniam Litvaniamque sparsi, civile bellum persequentibus. Habuit Rex vicesima quarta Januarii a. 1735. Varsaviae magnum consilium, ante quod edicto cives 1735.
monuit, ut paci intestinae operam darent, qua restituta suum se militem, praeter corporis custodiam legibus decretam, statim ex regno dimissurum promisit: qua conditione etiam suas copias revocare Russorum Augusta voluit. Idem in magno consilio repetitum, & praeter alia quae pacis studium praeferebant, foedus ad pacificationis comitia prorogatum est (*). Tum magna spes, brevi domesticam tranquillitatem redituram afful-

AVGVSTVS III. 1735.

affulſit. Caeſis enim diſperſisque, quas Palatinus Sendomirienſis & Caſtellanus Czerſcenſis ducebant, copiis, Palatinus ſe ad Stanislaum Regiummontem recepit, Caſtellanus autem cum militibus qui circa ipſum, Regi ſe ſubmiſit, idemque a Palatino Kiovienſi, cum toto qui ipſi parebat exercitu, cujus praeſidium Camenecenſe pars erat, menſe Februario factum. Ambo, Palatinus & Caſtellanus, Regem menſe Majo Varſaviae coram venerabantur (**). Pocieius Litvanorum praecipuus Praefectus, cui Palatinus Volhiniae Potocius & Theſaurarius curiae Litvanae Sapieha ſe junxerant, Varmiam quidem invaſit, ſed fugatus a Ruſſis, ipſe cum Palatino Regiummontem petiit, ſed copiae, cum jam in Polonia conſiſtere non tutum eſſet, in Moldaviam ſe receperunt. Inter haec, Regni Primas a Ruſſis Gedano Elbingam, inde Thorunium ductus, in libera cuſtodia habebatur, cui, cum declaraſſet, eſſe ſibi pronum in Auguſtum animum ac parendo promtum, Lovicium, ubi Primatum ſedes, Ruſſis tamen cuſtodibus, concedere permiſſum. Ex hac civitate Regem, ad cujus apud Auguſtam Ruſſorum interceſſionem cuſtodibus ſuis liberatus, litteris coluit, invitatusque decima quinta Julii Varſaviam, magno Pro-

cerum

cerum nobiliumque numero occurrente & deducente, venit, & ſequenti die primum Regem deinde Reginam publice ſalutavit. AVGVSTVS III. 1735.

(*) NOVA FAMA EVROPAEA part. 4. p. 283. & ſeq.

(**) NOVA FAMA EVROP. part. 3. p. 237. & ſeq.

§. XVIII. Quieſcentibus jam armis civilibus, copiae auxiliares minuebantur, ducebatque Laſcius triginta Ruſſorum millia in Germaniam adverſus Galliae Regem, & Rex quatuor legiones ex ſuis in Saxoniam remittebat: qui etiam poſt novum ſexta Junii conſilium, comitia ſex hebdomadum ad pacandam plane Rempublicam Septembri celebrare decrevit, monuitque, ut interea quibus alienus animus duraret, ad officium redirent. Nihilominus qui Stanislaum Regiummontem ſecuti, confoederatae Reipublicae Polonae nomen ſibi imponentes, quaſi Polona Reſpublica extra Poloniam eſſe, & una externi Regis urbe includi poſſet, *manifeſtationem* ediderunt, qua in fide erga ſuum Regem ad ultimum vitae ſpiritum ſe perſeveraturos & futurorum comitiorum decreta quaecunque, irrita declarabant. Coeperunt illa comitia, ut indicta erant, ſeptima & viceſima Septembris, nullo tamen ex il-

lis

AVGVSTVS III. 1735.

lis fructu. Cum enim Poninſcius foederis Mareſchalcus, de electione novi Mareſchalci ad Nuntios referret, nonnulli de ea agere detrectabant, niſi prius exercitus auxiliares ex regno exceſſiſſent. Hinc nata contentionis larga materia, quae ſex hebdomades comitiis deſtinatas, antequam Mareſchalcus crearetur abſumſit: cum tamen Regis ſecuritati & paci domeſticae legibus providendum eſſet, antequam auxilia dimitterentur. Comitiis hoc modo irritis, foedus quod jam diſſolvi nequibat continuatum, adieruntque Nuntii Senatum, ut foederis illius auctoritate conſilia conferrent: quod antequam fieret, Rex utroque Ordine praeſente, novos Cancellarios & exercituum Duces creabat. Regnante enim Auguſto II. Regni Cancellarius major & Poloni Litvanique exercitus Duces mortui, & in eorum locum nondum ſuffecti erant alii. Procancellariatu autem Regni, Cracovienſis Epiſcopus, propter hunc ſuum epiſcopatum, & cancellariatu Litvaniae majore, Princeps Wisnioviecius, exercitus Litvani ſimul *Regimentarius*, ob valetudinem ſe abdicabat, pro cancellariatu Palatini Vilnenſis dignitatem ſuſcipiens. Tum Rex habito cum Senatoribus circa ſolium ſtantibus conſilio, Epiſcopum Plocenſem Andr. Zaluſcium, Re-

gni

gni Cancellarium majorem ac Luceorienſem Epiſcopum; Jo. Frider. Sapieham Litvaniae majorem Cancellarium; Jo. Malachovium Regni Procancellarium; Palatinum Kiovienſem Joſ. Potocium Regni, Principem Wisnioviecium modo memoratum, Litvani exercitus ſupremos; Jo. Branicium Regni & Principem Mich. Radzivilium Litvani exercitus minores Duces creavit. Hoc peracto, retulit major Regni Cancellarius de iis quae decernenda ad Senatores & nobiles, qui cum cenſuiſſent, inter alia ſancitum, ut Rex nobilitatem, ſi neceſſe fuerit, in expeditionem evocaret, & comitia iterum indiceret; ut abſentes extra patriam cives intra certum tempus redirent; maxima auxiliarium pars quam primum regno excederet; Curlandiae vetera jura vetusque regimen conſervarentur; & foedus usque ad proxima comitia prorogaretur (*).

AVGVSTVS III. 1735.

(*) NOVA FAMA EVROP. part. 10. p. 838. ſ.

§. XIX. Conſilio hoc viceſima quarta Novembris finito, nova exſpectabantur ad pacandam omnino Rempublicam comitia, ante quae diſſenſiones, quae inter cives ſupererant, deſierunt. Ut enim Polonorum de eligendo Rege diſcordia Regem Galliae ad bellum in Caeſarem

AVGV-STVS III. 1735. ſarem impulerat, ita pax de qua inter hos Principes a. 1735. agi coepit, Polonorum qui Regiummontem ſeceſſerant conſilia turbavit. Convenerunt enim Viennae tertia Octobris illius anni clam conditiones, quibus futura pax publice componenda ſuperſtrueretur, & per quas Auguſtus, Rex Poloniae & magnus Dux Litvaniae eſſet, Stanislaus cum Regis Poloniae & magni Ducis Litvaniae titulo, Lotharingiae & Barri Ducatus, dum viveret, haberet, hique poſt ejus mortem Regi Galliae obvenirent; Stanislao ſua & conjugis bona quae in Polonia habuerant reſtituerentur; qui ejus partes ſecuti, cum venia actorum ſuas poſſeſſiones reciperent; & jura ac privilegia provinciarum, civitatum, omniumque Polonorum, ac nominatim libera Regum electio integra ſervarentur ac ſponſionibus firmarentur (*). Igitur Polonis qui Regiomonte, de reditu in ſuam patriam ſine Stanislao cogitandum erat, obtentisque Decembri menſe litteris Regiis, quibus quae admiſiſſent oblivioni mandabantur, iter conſenſu Stanislai alius poſt alium

1736. ingreſſi ſunt. Ipſe Stanislaus ſervato ſibi Regis nomine per ſuum diploma viceſima ſeptima Januarii 1736. jure in Poloniam & Litvaniam ceſſit, ac Ordines ſingulosque cives obſequio abſolvit, hos admo-

nens,

nens, ut positis odiis & simultatibus concordiam colant (**). Post Augustus per suum legatum die decimo quinto Maji Viennae probavit, quae inter Caesarem & Galliae Regem de Polonia constituta erant, & promisit, se Stanislaum pro Rege Poloniae habiturum, ac eum titulis Regis Poloniae & magni Ducis Litvaniae compellaturum, honoremque ut Regi Poloniae praestiturum esse (†). Idem non minus nomine Augustae Russorum per ejus legatum Viennae factum (††). Antea Rex Stanislaus, fine Martii Regiomonte Berolinum profectus, per Regis Prussiae regiones & Belgium in Galliam rediit, Lotharingiam & Barrensem tractum recepturus, quos Ducatus sequenti anno adiit. Ex Proceribus Polonis, solus Ossolinius, Regni nuper Thesaurarius, comitatus est.

AVGVSTVS III. 1736.

(*) PAX *inter Regem Galliae & Imperatorem* p. 11. 12.

(**) Pag. 32. & seq.

(†) Pag. 40. 41. 44. 45.

(††) Pag. 36 - 39. 43. 44.

§. XX. Quare jam melior successus comitiorum sperari poterat, quae Rex ad vicesimam quintam Junii in hebdomades duas indixit. Primo il-

AVGVSTVS III. 1736.

lorum die Vencesl. Rzewuſcius, Notarius *campeſtris* regni, Mareſchalcus nuntiorum eligebatur, quo praeſide nobilitas in ſuo conclavi in nonam Julii conſultavit, eoque die poſt meridiem conſilia cum Senatu conferre coepit & per totam noctem continuata, ſequentis diei hora quinta matutina feliciter abſolvit. In his comitiis firmata ante omnia inteſtina quies, cum illatae per civile bellum injuriae oblivioni mandarentur, & illos, qui intulerant, lex poena eximeret (*). Nec minus amicitia cum vicinis Principibus declarata, injunctumque iis, quibus id negotii jam a. 1726. datum, ut cum Miniſtris eorundem Principum, inprimis cum legato Ruſſico, de controverſiis agant & quicquid conſtitutum, futuris comitiis ad Ordines, ut approbent, referant (**). Pariter Palatino Sendomirienſi, Joanni Tarlo, commiſſum, cum Nuntio Papae de iis, quae ad jura Majeſtatis, Reipublicae, & patronatus, transigere (***). Generatim vero ſancitum, ne cum exteris, niſi omnibus Ordinibus conſciis, vel pacta vetera renoventur, vel nova ineantur (†). Contra diſſidentes de religione, quicquid in comitiis convocationis ſancitum, iterum placuit (††); Primatis autem jura, praeſertim in declarandis & inaugurandis Regibus integra ſervata,

ſervata, & Rex non alibi, niſi inter Varſaviam & Wolam eligi juſſus (†††). Reginae non minus ratio habita eſt, ut ſi Regi vidua ſupereſſet, reditus annui ex bonis aſſignandis ſummam ducentorum florenorum millium aequarent, & Rege vivente, doni nuptialis nomine, ſingulis annis ex ſalifodinis Bochnenſibus & Vielicenſibus bina nummorum aureorum millia reciperet (*†). Exercitum Saxonicum in poſterum Poloniam ingredi vetitum, ſed ad augendum militem domeſticum *commiſſio* decreta eſt (*††). De Curlandia id memorabile, quod cum antea ſtatutum, ut exſtincta cum Ferdinando ſtirpe Kettleriana maſcula, Ducatus ille, ad modum aliarum provinciarum Regni, Regi *immediate* pareret, jam utilius viſum, poſt mortem Ferdinandi, Curlandiam alicui cum poſteris ſuis maſculis in *feudum* conferre, idque ut fieret lege conſtitutum (*†††). Praeter haec, interna quaevis foedera, ſimul foedus pro Rege poſt ejus electionem factum ſervatumque, diſſolvebantur, Ordines vero Regem vita & fortunis tueri ſe obſtringebant, omnia ſcripta cum contra Regis electionem, tum contra ejus perſonam abolentes, ſalva in eos ex lege a. 1609. *de non praeſtanda obedientia* animadverſione, qui adverſus

AVGVSTVS III. 1736.

AVGV-STVS III. 1736. Regem aliquid aufuri eſſent. Viciſſim Rex promittebat, religionem Romanam catholicam & electionem regiam integram manſuram, & omnia jura ſancte ſervatum iri; ſe copias ſuas Saxonicas, a die nona Julii quadraginta dierum ſpatio, extra regni fines dimiſſurum, nunquam revocandas & ſi revocatae, aut non exceſſerint, in eos tanquam in publicos hoſtes, a nobilitate agendum eſſe, praeter mille & ducentos Saxones pro corporis cuſtodia, lege anni 1717. de iis ſalva ; ac intra idem tempus auxiliares Ruſſos, nunquam redituros, exceſſuros eſſe (*). Denique in conſtitutionibus acta interregni, alia probata alia non probata; *confoederatio* comitiorum convocationis, ſed in quibusdam correcta; pacta conventa, edicta ad inaugurationem Regis pertinentia, & diploma electionis, Primatis nomine praepoſito, repetita fuerunt (**).

(*) CONSTIT. a. 1736. p.92. tit. *Uſpokoienie.*

(**) p. 93. tit. *Oświadzenie.*

(***) p. 93. tit. *Modyficácya.*

(†) p. 92. tit. *Wárunek.*

(††) p. 92. tit. *Wárunek.*

(†††) p. 94. tit. *Prerogatywy.*

(*†) p. 94. tit. *Opráwá.*

(**†) p.92.tit. *Wárunek.* p.101.tit.*Kommiſſya.*

(***†) p.

(***†) p. 100. tit. *Kurlandya*. AVGVSTVS III.

(*) p. 1. & seq.

(**) p. 5. & seq. 1736.

§. XXI. Comitiis finitis, auxiliares Russi & Saxones iter ingressi sunt, ex terris Poloniae excessuri. Ipse Rex Saxoniam petiit, eodemque tempore Palatinus Sendomiriensis cum Papae Nuntio, Camillo Paulucio, de regio in conferendis abbatiis patronatus jure Varsaviae egit, & controversia sexta Augusti ita composita est, ut Regi liceat duodecim abbatias in *commendam* largiri, Abbates autem *claustrales* a suis monachis eligantur. Duodecim illis abbatiis in *commendam* dandis, Papa decimam tertiam adiecit. Hanc pactionem Rex in Senatus consilio Fraustadiensi octava Julii 1737. probavit, & Senatores praesentes nomina sua subscripserunt (*). In quo consilio, de novo Curlandiae Duce ad Senatores relatum est, Ferdinando ex Gothardi Kettleri posteris masculis ultimo, Gedani, ubi a multis annis stabilem sedem sibi delegerat, quarta Maji, aetatis octogesimo secundo mortuo, post cujus obitum alii vacuum Ducatum lege beneficaria conferendi, Regi proximis comitiis potestas data erat: Curlandi vero ad exemplum 1737.

 anni

AVGVSTVS III. 1737.

anni 1726. jus eligendi Ducem ſibi vindicantes, Mutaviae in ſuo conventu, decima quarta Maji, Erneſtum Joannem Comitem Bironium, Annae Ruſſorum Auguſtae ſupremum cubiculi Praefectum, & ex numero nobilium Curlandorum, Ducem crearunt. Venit Frauſtadium a Curlandis legatus, novi Ducis electionem probari orans, ſed Senatoribus jus eligendi Curlandis eſſe negantibus, Rex ad commendationem Auguſtae Ruſſorum, & preces Curlandorum, Bironio ejusque ſtirpi virili Ducatum per diploma contulit. Die duodecima Novembris, Gedani inter Regis & Reipublicae delegatos, ſeu *Commiſſarios*, & Curlandiae Cancellarium Finckium, Ducis nomine miſſum, novum pactum convenit, cujus prima erat conditio, ut Dux, non per legatum, ſed ipſe coram *feudum* reciperet (**): quae tamen impleta non eſt, eodem Finckio, pro Duce ob valetudinem abſente, viceſima Martii anni 1739. Varſaviae ad *feudum* & jusjurandum admiſſo. Fuit alias annus 1737. Polonis etiam ex hac re memorabilis, quod de pace congreſſus inter Caeſaris Germanorum, Auguſtae Ruſſorum & Turcici Imperatoris legatos Niemerowiae in Ucraina inſtitutus, qui tamen omni fructu caruit. Decima nona Decembris ejusdem anni, Jacobus

cobus Ludovicus Sobieſcius, Regis Joannis III. filius natu maximus, ſolus ex ejus ſobole ſuperſtes, Zolkieviae in rubra Rusſia, annum ſeptuageſimum egreſſus, obiit, unam relinquens filiam, Duci Bullionenſi nuptam, & ex altera duos nepotes. Eodem tempore Papa Clemens XII. Joanni Lipſcio, Cracovienſi* Epiſcopo, de utroque Auguſto & Republica meritiſſimo, ad Regis commendationem, purpuram cardinalitiam contulit, cui Rex ſua manu ſequenti anno Varſaviae, pridie comitiorum, publice in aede S. Joannis galerum, berettam vocant Itali, impoſuit.

AVGVSTVS III. 1737.

1738.

(*) NOVA FAMA EVROP. part. 43. p. 588.

(**) NOVA FAM. EVROP. part. 39. p. 241.

§. XXII. Fuerunt comitia illa ordinaria, ſexta Octobris coepta, quorumque altero die, Rudzinius, Crusvicenſis Praefectus, nuntiorum Mareſchalcus electus eſt. In iis praecipue de augendo Polono & Litvano exercitu conſultari & certi quid decerni debebat, ſed toto in Nuntiorum conclavi fruſtra abſumto tempore, Ordines die 17 Novembris infecta re diſceſſerunt. Pridie quam deſierunt comitia, Archiepiſcopus Gnesnenſis, Regni Primas, Theodorus Potocius, Varſaviae obiit, in cujus dignitatem Rex Cracovienſem Epiſcopum

AVGV-STVS III. 1739. hocque deprecante, Christoph. Szembekium Cujaviensem Episcopum suffecit, cujus successor Ad. Grabovius, Culmensis Episcopus, fuit, Culmensem autem episcopatum Zaluscius, Luceoriensis Praesul & major Regni Cancellarius, nactus est.

§. XXIII. Bellum quod eo tempore prope fines inter Russos & Turcos gerebatur, etiam Polonis incommodum attulit, ob Russorum transitus, & Tattarorum, qui Turcis militant, incursiones. Rex in consilio, quod ob ejus affectam valetudinem & alia quae inciderant, post comitia, solito serius, & demum tertio Aprilis 1739. habebatur, de Tattarorum in Braclaviensi palatinatu populationibus ad Senatores retulit, qui censuerunt, compellandos esse Turcorum magnum Vesirum & Tattarorum Hanum, ut captivi reddantur & damna reparentur. In Fraustadiensi consilio, vicesimo nono Augusti ejusdem anni, Regi potestas data, ad tuendam in finibus tranquillitatem, comitia extraordinaria indicendi, placuitque de sarciendis damnis legatos in aulam Russicam, ad Turcorum Caesarem & Tattarorum Hanum mittere. Pax ipso illo anno inter belligerantes composita, comitiorum extraordinariorum necessitatem sustulit, ac incolarum quere-

 las

las in posterum finiit: priora damna rationibus initis pecunia compensabantur. Cum extraordinariis, ut dictum, non opus esset, ordinaria comitia tertia Octobris 1740. coeperunt, qua die etiam Mareschalcus Nuntiorum, Karwowski, ex Belscensi palatinatu electus est. Tria Regis nomine a majore Regni Cancellario Ordinibus commendabantur, pax, securitas & rerum affluentia: & cum pax & securitas stibiles esse vix possent, nisi justus militum numerus provideretur, iterum in Nuntiorum conclavi de augendis exercitibus consultatum, iterum nihil constitutum, totumque comitiorum tempus intercidit, quo non prorogato, comitia cum sextae hebdomomadis fine desierunt. Antea tres Senatores a Rege missi, mortem Caesaris Caroli VI. vicesima Octobris exstincti detulerunt, & Rex consiliis apud nuntios finitis, in Saxoniam ob Germanici imperii vicarium regimen festinavit. Fuit alias hic annus Curlandiae Duci fatalis. Cum enim Russorum Augusta Anna, paulo ante mortem, sororis suae nepotem Joannem, nondum trium mensium infantem, matre ejus praeterita, successorem, ejusque, dum ad annum decimum septimum adolesceret, tutorem simul imperii administratorem, Ducem Curlandiae declarasset,

AVGVSTVS III. 1740.

AVGVSTVS III. 1740. rasset, adiit quidem Dux, Anna duodetricesimo Octobris defuncta, Joannis nomine regimen, sed breve admodum tempus exercuit. Inito enim clam consilio administrationem in Joannis matrem transferre, vicesima Novembris, summo mane, in suo palatio, cubans in lecto, captus, in carcerem ductus, majestatis damnatus, & sequenti anno, cum uxore, liberis & fratribus in Siberiam exul missus est. Tum Curlandiae regimen Rex supremis consiliariis permisit, a quibus in hunc diem geritur, Duce cum filiis adhuc in exilio, quamvis minus ac antea molesto.

1741. §. XXIV. Annus 1741. Regem in Saxonia detinuit, Germaniae negotiis, quae vicarius curabat, intentum, bello etiam implicitum, quod ob provincias Austriacas post Caroli VI. mortem, adversus ejus filiam Mariam Theresiam Ungariae & Bohemiae Reginam coeperat; Polonia interim pacata, cujus intestinam quietem cum turbare quidam vellent, ostentato civibus foedere, quasi pro juribus & securitate ineundo, eorum conatus frustra fuit. Sequenti an-
1742. no, Electore Bavariae, Carolo Alberto, creato & inaugurato Caesare, Rex vicario Germaniae regimine exsolutus, mense Majo Fraustadii cum Senatoribus

de

de ſervanda, dum in Saxonia abeſſet, inteſtina tranquillitate & cum vicinis amicitia deliberavit, placuitque domeſticae pacis curam Primati, Senatoribus, ac togae bellique miniſtris mandare, & per legatos cum exteris Principibus amicitiam colere. Tempore hujus conſilii, Rex dignitates vacuas contulit, inter quas Cracovienſis caſtellenatus Joſepho Mniſzekio, ſupremus regni Mareſchalcatus, Franc. Bielinio & Mareſchalcatus curiae Georg. Mniſzekio, Caſtellani Cracovienſis filio, obvenerunt. Samogitae, jure ſuo uſi, Tyſzkievicium antea Caſtellanum, Praefectum ſeu Capitaneum elegerant, cui Rex novum honorem confirmavit. Cum hoc Senatus conſilio publicae ſaluti ſatis proſpectum eſſet, & Rex bello in Germania continuato ex Saxonia discedere impediretur, comitia, quae in hunc annum incidebant, ordinaria, non indicta, ſed poſt aliud biennium dilata ſunt.

AVGVSTVS III. 1742.

§. XXV. Rediit Rex menſe Majo 1744. ex Saxonia Varſaviam, ubi cum Senatoribus inter alia & de proximis comitiis conſultatum, quae Grodnae in Litvania quinta Octobris coeperunt. Non profuit ad felicem exitum, feſtinata intra horas duas & dimidiam, in Oginſcio, Vitepscenſi nuntio, Mareſchalci electio,

1744.

AVGVSTVS III. 1744. electio, cum de augendis exercitibus disceptatio, tertia haec comitia infructuosa reddiderit. Etsi enim palam non displiceret, majorem parari militum numerum, cum in vicinis Poloniae regionibus bellum iterum exarsisset; ut etiam multi auctores essent, solum hoc & non aliud negotium tractandum esse, tributa tamen, quibus novi milites sustentandi, amplum contentionibus campum praesternebant. Accedebat suspicio, imo publica incusatio, esse inter nuntios qui externa pecunia redemti, ut aliorum studium irritum redderent, unde nova litis materies & diffidentia, effectumque, ut spatio sex hebdomadum finito, decima sexta Novembris Nuntii ex suo conclavi, nulla re peracta, abirent. Rex interea, Principe Wisnioviecio mortuo, Principem Mich. Radzivilium exercitus Litvani supremum, & Mich. Massalscium minorem Ducem, Ignat. Oginscium vero Litvanae curiae Mareschalcum creavit. Post comitia, Rex cum Senatoribus de pace servanda consilia contulit, ac Varsaviam reversus, undecima
1745. Januarii 1745. Saxoniam repetiit, iterum imperii Germanici Vicarius, cum Caesar Carolus VII. vicesimo illius mensis Monachi obiisset.

§. XXVI.

§. XXVI. Annus ille, quem totum Rex extra Poloniam transegit, Saxoniae ob bellum cum Rege Prussiae tristis fuit, Polonia interim tranquilla. Reddita pax Saxoniae vicesimo quinto Decembris, ante quam Franciscus, magnus Etruriae Dux, Reginae Ungariae maritus, decima tertia Septembris Caesar eligebatur, Rege in eum suffragium suum conferente, cum ipse summam hanc dignitatem sibi oblatam magno animo recusasset. Sequentis anni vicesimo Februarii, Cardinalis Episcopus Cracoviensis Jo. Lipscius obiit, cujus mors ideo sileri non debet, quia in eo Rex & Respublica magnam jacturam fecerunt, cum a boni Senatoris & pii civis officio deflexerit nunquam. Vacuus ediscopatus Zaluscio, Culmensi Episcopo & majori regni Cancellario contigit, pro quo in comitiis Malachovius ad cancellariatum majorem ascendit, ac minorem Mich. Wodzicius, Cracoviensis Decanus & Officialis, obtinuit, cui hoc honorificum, quod olim a Lipscio Regi commendatus. Erant comitia quarta, in quibus numerus ad quem augendi exercitus, & tributa in sumtus constitui debebant, tertia Octobris coepta, sed ut priora, Lubomirio, Casimiriensi Praefecto & Ravensi nuntio

AVGVSTVS III. 1745.

1746.

tio

AVGV-STVS III. 1746. tio Mareſchalco, fruſtra habita, licet magnam ſucceſſus ſpem moviſſent. Re enim de militum numero & tributis pro novis militibus inter Nuntios jam confe-cta, de agrorum ex quibus pecunia in milites pendenda luſtratoribus agebatur. Erat dies decima quarta Novembris, & comitiorum ultima, qua Polonorum de luſtratoribus ſcriptum legebatur pro-babaturque. Jam Litvanorum recitan-dum ſcriptum, quod ob tenebras, nam veſper erat, ſine candela legi haud pot-erat: at candelam inferri, quia lex ad candelam conſultare vetat, nonnulli contradicebant, & cum nihilominus inferretur, tantus tumultus & tanta in-dignatio, ut Mareſchalcus Nuntios di-mittere adigeretur: quod ab ipſo cum exſecratione in eos, qui male finitorum comitiorum auctores eſſent, factum eſt. Caeterum fuit hic annus domui Regiae laetus, triplici matrimonio inter Principem regium natu maximum Fri-dericum Chriſtianum & filiam Caeſaris Caroli VII. Mariam Antoniam, inter filias Mariam Annam & Electorem Ba-variae, ac inter Mariam Joſepham & Regis Galliae filium, Ludovicum Del-phinum conſtituto: id quod in familiis Imperantium rariſſimum & poſteritati memorandum.

§. XXVII.

§. XXVII. Bello inter Regem Galliae & Principes adversus Ipsum foederatos fervente, Russicus exercitus his in auxilium missus, per Poloniam a. 1748. in Germaniam transiit, sed pace composita, antequam amicorum causam armis tueretur, eadem via in Livoniam rediit. Comitia septima Octobris inchoata non melius successerunt superioribus, cum Mareschalco Sieminscio ex minore Polonia intra duas horas electo, in conclavi Nuntiorum nona Novembris desinerent. Utinam haec frustra indictorum sint ultima, utinam futura omnia in Reipublicae commodum finiantur felicissime! AVGVSTVS III. 1748.

REX AVGVSTE TERTIE

REIPVBLICAE PATER

DEVS TE SERVET!




GOT-

GOTFRIDI LENGNICH

DISSERTATIO

DE

POLONORVM MAJORIBVS.



DE

POLONORVM MAJORIBVS.

§. I.

Poloni ex Sarmatia.

Polonos regionum quas incolunt non esse indigenas, sed aliunde advectos, asserunt quotquot primam Gentis aetatem descripsere, omnes. Est & inter plurimos consensio, ex Sarmatia profectos ad Vistulam consedisse, iis ne quidem diversis, qui eosdem cum Vandalis, Gothis aliisque permiscent & confundunt. Cum vero late patuit Sarmatia, & ab innumeris fere gentibus insessa, investigandum utique, ex qua illius parte Poloni olim egressi, quamque ex tot nationibus parentem habuerint. Nam credere, eos quasi ex se natos, nimis ambitiosum, & assignare iis velle omnem Sarmatiam, summam nec hac litterarum luce ferendam inscitiam arguit.

§. II.

In oſtendenda prima illorum patria, qua via incedendum.

Et carere hoc labore poſſemus, ſi aliorum ſententias tuto ſequi liceret, neque hoc argumentum ab aliis omnino neglectum, ab aliis ita tractatum eſſet, ut vera falſis, fabulas hiſtoriae junctas deprehendas, perlectisque omnibus, incertior fere, quam antea, reddaris. Tentabimus ſi quid rectius a nobis adferri poſſit, illoque utemur modo, ut primum Polonorum nomen, ſed patrium, ceu ducem aliquem ſequamur; tum quae vulgo de Polonorum origine traduntur in rem noſtram vertamus; denique luculentum decimi ſaeculi teſtimonium ad partes noſtras vocemus, quo inde ſententiae robur accedat. At nemo his certitudinem aliquam mathematicam ſperet, quam non exigent, niſi difficultatum quibus gentium prima initia involvantur plane ignari: ſic tamen rem pertractare confidimus, ut a veritate non aliena, hiſtoriarum fidem ſuſtineat.

§. III.

Conatus aliorum, ex Polonorum nomine, gentis originem deducentium.

Fatemur quidem, ante nos fuiſſe, qui Polonorum nomine, ad eruendam illorum originem uſi ſint. SARNICIVS [i] auctor eſt „plerosque hiſtoricorum putaſ-
„ſe,

„ ſe, Pola, celebri in Illyrico vel Iſtria ur„ be, Polonorum Ducem Lechum prodiiſ„ ſe, nomenque ſuis dediſſe„. Quae ſi recte ſe haberent, non quaerenda eſſet prima Polonorum patria. Perplacuit tamen haec nominis Poloni derivatio, acutiſſimo Viro, GVNDLINGIO, ut tanquam ſuam, Iſtriae tamen Pola in Colchicam immutata, proferret [2]. Doctiſſimus HARTKNOCH, [3] cum inter Polonos & *Ptolemaei* Bulanos, quos hic inter minores Sarmatiæ gentes ad Viſtulam locat, quandam vocabuli ſimilitudinem videret, ex diverſis, unum populum finxit, confutatus inde ab HANCKIO [4] ſuaque profligatus, ut mihi quidem videtur, contradictione, cum Lechum, primum Polonorum Ducem, circa finem ſaeculi VI. ac ſic poſt *Ptolemaei* aetatem, Poloniam demum ingreſſum ſtatuit [5]. Minus in Spalis quis Polonos noſtros, ſi forte quaereret, inveniet, quae tamen *Conringii* fuit conjectura, ac propterea laudati modo HANCKII [6] virgulam non effugit. Qui Polonos Lechi poſteros, cui praeter novas ſedes & imperium, nomen ſuum debeant, aſſerunt, non audiendi ſunt, niſi monumentis fide dignis oſtenderint, Lechum hunc aliquando extitiſſe. Nam ſi quod ſentio fateri liceat, videtur mihi Lechus ille, quaſi Minerva altera, ex cerebro, non Jovis,

 ſed

ſed ſcriptoris recentioris natus, ac credulitate ſectatorum enutritus, ad illam magnitudinem adoleviſſe, qua hodie oſtentari ſolet.

[1] *Annal. Pol. L. I. c. 12.*

[2] Vid. Diſſ. *de Regno Moraviae §. VII. in not.* quae habetur GVNDLINGIANORVM *parte XI.*

[3] *De Repub. Pol. L. I. c. 2. §. 1.*

[4] *De Reb. Sileſ. c. 1. §. 50.*

[5] *l. c. §. 2.*

[6] *l. c. §. 51.*

§. IV.

Lazi in veteri Colchide. Varia de hac gente.

Non tamen alienis immorabimur, ſatius erit, quae ipſi meditati, depromere. Et ſtatim obſervamus, minus bene agere, qui ex nomine gentis originem conjectantes, illo uti latine pronuntiari ſolet, utuntur. Scriptores enim extranei, qui ante domeſticos gentis res latino ſermone memorarunt, eodem pariter ejus nomen formarunt. Inde *Polenii, Polliani, Bolani, Polani, Poloni,* & regio, *Polenia, Polliana, Polonia* dicta eſt. Sua lingua vocantur *Polacy,* quae appellatio ſi ſervatur, poterit priſca illorum in veteri Sarmatia ſedes monſtrari, quae alias perpetuo lateret. Inter populos

pulos enim, qui illam orbis partem incoluerunt, *Lazi* memorantur, quos omnium amplissime PROCOPIUS & AGATHIAS, ut sua aetate sese habebant descripserunt. Ex PROCOPIO docemur „*Lazorum* si„tum ad Pontum Euxinum, in veteri Col„chide [1], eos Romanis quidem paruis„se, sed immunes a tributis, non alio do„cumento obsequium demonstrasse, nisi „quod mortuo Rege, pro novo, quem ipsi „eligebant, insignia a Romano Impera„tore peterent. Regem diligenter fi„nes custodivisse, ne e Caucaso Hunni „per Lacicam terram in provincias Ro„manas irrumperent„ [2]. Insignia illa Regia memorat AGATHIAS [3] „fuisse „coronam auream, pretiosis distinctam la„pidibus, pallam ad talos demissam auro„que intertextam, calceos murice tinctos, „mitram auro & lapidibus variatam, chla„mydem albam, circa cujus medium au„reum quoddam textum utrinque re„splenderet„. Idem AGATHIAS addit [4]: „ferocem fuisse nationem, maximis aliis „imperasse & veteri Colchorum appella„tione gloriatam, sese supra modum ex„tulisse, interque omnes, quae sub alio„rum imperio fuerint constitutae, nullam „aliam ita celebrem atque felicem extitis„se, tam opum excellentia, quam multitu„dine subjectorum, locorum etiam op-

„portunitate, abundantiaque rerum ne-„ceſſariarum, & morum elegantia & dex-„teritate„. Antea Perſis Lazi paruerant, Juſtini vero tempore ad Romanos transierunt, cum ipſe Princeps Tzathus Byzantium veniret, ac Chriſtianorum ſacris nomen daret, indeque meritus, ut a Caeſare Regio titulo ornaretur [5].

[1] *De Bello Gothico L. IV.*

[2] *De Bello Perſico L. II.*

[3] *L. III.*

[4] *l. c.*

[5] THEOPHANES *ad annum Juſtini V.*

§. V.

Ab illa gente Polonos deſcendere conjectura.

Ab hoc populo Polonos deſcendere, dictosque ſua lingua Polacy, quaſi poſteros & progeniem Lazorum, a veritate non abhorret: imo videtur Lazorum in Lechi mutatum nomen, quo Duce peregrinas adiiſſe regiones dicuntur Poloni. Firmat conjecturam, quod Lazorum non Lechi apud veteres mentio, quem non omiſiſſent, ſi fuiſſet, qualis a recentioribus deſcribitur. Accedit Zechorum exemplum, quos nomine ſuo viro cedere oportuit, qui Lechi comes, aliam coloniam in Bohemiam deduceret, novum ibidem Regnum excitaturus.

§. VI.

§. VI.

Eos a Lazis moribus & lingua haud diversos.

Post nominum affinitatem, de lingua & moribus nonnulla addi possent, nisi & in his Lazos & Polonos convenire, exinde colligere liceret, quod ambo originis Sarmaticae. Si qui tamen haec accuratius scire volunt, volvant *Procopium* & *Agathiam*, seu qui in illis sparsim tradita, uno fasce complexus est, PASTORIVM [1]. Diffitendum tamen non est, illo tempore, quod allegati auctores describunt, Lazorum mores, ex consuetudine cum Romanis, aliquantum fuisse mutatos, quod ipse innuit *Agathias*, majoremque servasse simplicitatem, qui antea patria sua egressi, quo diversitatis, si qua Lazos inter ac veteres Polonos deprehenditur, reddi potest ratio.

[1] *De Originibus Sarmaticis p. 63. seq.*

§. VII.

Fabula de Lecho, Zecho, Russo. Novum inde pro Polonorum majoribus argumentum. Mos veterum, in describendis gentium originibus, ad exemplum familiarum agere.

Pervulgatum est commentum, Lechum & Zechum fuisse fratres, quibus ab aliis Russus additur, ab aliis omittitur, eos-

demque una emigrasse. Commentum appello, quod gentis nomen iterum viro uni inditum. Zechi enim integer erant populus, Lazis finitimus, ad Ponti Euxini maritimam oram, cui olim Reges Imperatores Romani dederant, sed qui Justiniani aetate jam omne obsequium exuerant [1]. Hanc tamen fabula nobis praestat utilitatem, ut inde Polonorum majores cognoscantur Zechos habuisse vicinos, quod apte in Lazos quadrat, alterumque argumentum suggerit, Polonos veros eorundem esse posteros. Quod si & tertius frater Rus admittendus, neque hoc turbabit rationes nostras. Russi enim Polonis in sede nova contermini, sermone moribusque non multum diversi, credebantur cum iis a communi stirpe descendere: quia erat priscae aetatis persuasio, sic oriri, sic extendi gentes, veluti familias. Quare in describendis populorum originibus non aliter agere consuevit vetustas, ac si familiae alicujus tabulam sisteret, ubi stirpis auctor, filii, nepotes, pronepotes indicandi: quod certe, nisi liberalius fingendo, peragi haud poterat. Unum sufficiat in praesens Germanorum exemplum, de quibus TACITUS [2] „illos celebrasse carminibus Tuistonem Deum „terra editum, & filium Mannum, origi„nem gentis conditoresque. Manno

„tres

„ tres filios aſſignaſſe, e quorum nomini-
„ bus Ingaevones, Hermiones & Iſtaevo-
„ nes: alios tamen licentia vetuſtatis plu-
„ res Deo ortos adfirmaſſe. „ Simili fere modo, initia gentis ſuae, Boguphalus, vetuſtiſſimus poſt Kadlubkonem ſcriptor, a Baskone Posnanienſi Cuſtode continuatus, primumque a *Generoſo* de SOMMERSBERG editus [3], deſcribit. „ Pan Principi Pannoniorum, *inquiens*, „ tres fuere filii, quorum primogenitus „ Lech, alter Rus, tertius Czech nomina „ habuerunt, & hi tres haec tria regna Lechitarum, Ruthenorum & Czechorum, „ qui & Bohemi, ex ſe & ſua gente multiplicati, poſſederunt [4]. „

[1] PROCOPIVS *Hiſt. Got. L. IV.*

[2] *De moribus Germanorum c. 2.*

[3] *Tomo II. Scriptorum Rerum Sileſiacarum.*

[4] *p. 19.* allegati *Tom. II. Script. Rer. Sileſ.*

§. VIII.

Primi Poloni, unde egreſſi.

Sic ficta inter Zechum Lechumque fraternitas ſententiae noſtrae favet, ſed neque ſedes, unde iidem in Poloniam Bohemiamque veniſſe vulgo perhibentur, repugnat: ſi eos excipias, qui ex Croatia Dalmatiaque evocant, a CROMERO jam confutati [1]. Citatus modo *Boguphalus*

eodem

eodem loco testatur: legi in vetustissimis codicibus, „Pannoniam esse matrem & „originem omnium Slavonicarum natio- „num„: quod ferri potest, si interpreteris, nationes Slavicas per Pannoniam sese in Germaniam infudisse. Recte enim Cromerus primas illarum sedes in ulteriori Sarmatia collocat, ac peropportune locum ANTONII SABELLICI, Slavos a Cimmerio Bospbro digressos narrantis adducit [2]. Et optime monet PASTORIVS [3], circa paludem Maeotidem, Bosporum Cimmerium, & Pontum Euxinum subsistendum esse. Ergo non nisi ex his locis Polonorum primi repetendi, neque felicius, quam ex Terra Lazica, ad Pontum Euxinum sita.

[1] *de Reb. Polon. L. I. c. 15.*

[2] *l. c. c. 14.*

[3] *De Originibus Sarm. p. 86.*

§. IX.

Quo tempore, quove modo.

Inde Lazorum pars, Zechis juncta, forsan & aliis Sarmatis permixta, non per Pontum Euxinum, sed terra, Tanai, Borysthene, Tyra, & Danubio superatis, in Pannoniam progressa. Non enim in illis oris tanta navium copia, ut ingens hominum multitudo, mare transmittere

potu-

potuiſſet, eſtque *Illuſtris* quondam LEIBNITII obſervatio, [1] „antiquas migrationes non mari ſed terra factas, ſeriusque eo provectam navigandi artem ut claſſibus iretur „. Annum in quem illa migratio inciderit, conſtituere haud licet, multo minus ſpatium temporis, quod itineri inſumtum. Hoc tantum asſeri poteſt, profectionem Saeculum VI. praeceſſiſſe, cum Lazorum Rex Tzathus, a. 522. Chriſtianae religioni nomen dederit, de noſtris vero Polonis conſtet, ab iis ſacris alienos egreſſos eſſe, iisdemque demum X. ſaeculo, diu ab ipſis habitata Polonia, acceſſiſſe. Eſt & veriſimile iter hoc non uno temporis tractu, ſed per intervalla, ut modo quieſcerent modo pergerent peregrinantes, confectum.

[1] *In Notis ad* TACITI *Germaniam, Tom. I. Script. Rer. Brunſv. p. 8.*

§. X.

Adventus in majorem Poloniam.

Ex Pannonia, cum aliis Sarmatiae popnlis, ulterius progreſſi, Zechi tandem ad Albim, ubi Bohemia, Lazi ad Vartam, in hodierna Polonia majori, conſederunt. Vacuae tum per Vandalorum Burgundionumque migrationes terrae, ſine armis, ſine bello, occupari poterant. Vandali enim iuitio ſaeculi V. in Galli-

am

am [1], post in Hispaniam moverant, deserta eodem fere tempore a Burgundionibus Bohemia. Equidem in *Eusebianis Chronicis* ad annum 374. legimus, Burgundionum octoginta ferme millia ad Rhenum descendisse: at AMMIANVS MARCELLINVS [2], qui causam adventus memorat, simul refert terras suas repetiisse. Quare EVSEB. *Chron.* ad annum 414. Burgundiones partem Galliae Rheno propinquam obtinuisse perhibet: ut pateat eos demum V. saeculo ex Bohemia migrasse.

[1] EVSEBII *Chronica a. 407.* Vandali & Alani Gallias trajecto Rheno pridie Kal. Jan. ingressi. Idem habet CASSIODORI *Chronicon*, Arcadio VI. & Probo Consulibus.

[2] *L. XXVIII. c. 5.*

§. XI.

Isque ante annum 550.

Constare jam poterit, quae praeferenda sententia, aliis adventum sic dicti Lechi in Poloniam, ante annum 550, aliis eodem ipso 550 anno, aliis denique post eundem statuentibus. Singulos, eorumque sectatores enarrat HANKIVS [1], mediamque ipse amplectitur. Nobis prima placet, ne post Vandalorum Burgundionumque abitum, per tantum tem-

temporis ſpatium, Bohemiam Poloniamque vacuas credere adigamur.

[1] *De Reb. Sileſ. c. 1. §. 33. ſeq.*

§. XII.

Confuſa, poſt diſtincta Slavorum genera. Inter illos Slavi Licicaviki.

Novi advenae, Lazi ac Zechi, caeteris ex Sarmatia ſic confundebantur, ut ne illorum quidem nomen audiretur, ſed omnes promiſcue Slavi dicerentur: quod vocabulum ſaeculo VI. coepit invaluitque. Poſtea diſtinctae a ſe Slavorum nationes, ſingulis peculiari appellatione addita, ut in hiſtoria ac geographia medii aevi multa eorum genera occurrant: interque caetera Slavi Bohemi, Behemi, Behemanni, qui iidem qui Zechi. Lazorum, ſed vocabulo aliquantum producto & aliter inflexo, primus mentionem facit WITECHINDVS *Corbeienſis*, ſaeculi X. Scriptor, Slavos Licicavikos nominando.

§. XIII.

De quibus locus Corbejenſis Witechindi, ab aliis parum intellectus.

Pretium operae eſt, locum integrum ponere eumque illuſtrare. „Wigmannus, *ſunt verba hiſtorici*, longius „degentes Barbaros crebris praeliis con-

„trivit.

„trivit. Miſcam Regem, cujus pote-„ſtatis erant Slavi qui dicuntur Licicavi-„ki, duabus vicibus ſuperavit, fratrem-„que ipſius interfecit, praedam ma-„gnam ab eo extorſit„ [1]. Eundem de-ſcripſit ANNALISTA SAXO primum ab ECCARDO editus [2], ad annum 965, nomen tantum Miſcam in Miſacam mutans, ab ipſo Witechindo poſtea Miſica prolatum. Neque ea verba, HARTKNOCHIVM & HANCKIVM, imo nec ante ipſos CROMERVM fugerunt. Et CROMERVS quidem credidit [3], Miſcam hunc fuiſſe diverſum a Miecislao Polono, unumque forte de Popieli poſteris. At debuiſſet digniſſimus Praeſul ſcire, inter omnem Slavorum nationem, niſi Poloni ſint, Licicavikos haud dari, & Popieli, ſive primi ſive ſecundi, nullam progeniem ſuperſtitem, ex qua poſteri, memorari; contra Miſcae ſeu Mieſconis nomen Polonis perpetuo adeo fuiſſe proprium, ut praeter illos in nulla Slavorum gente occurrat, ſed eſſe argumenti inſtar, de Polonis agi, quoties idem legitur. HARTKNOCHIVS Licicavikos Licikavos appellando, locat ipſos ſed dubitanter in Luſatia [4], & ſic cum Luſicis confundit, qui nunquam Licikavi appellati, & quos ipſe WITICHINDVS

DVS

DVS a ſuis Licicavikis ſejungit, Lacicavikorum enim clade memorata, ſtatim addit: „Eo quoque tempore Gero praeſes, Sclavos, qui dicuntur Luſiki, potentiſſime vicit, & ad ultimam „ſervitutem coëgit„. HANKIVS haeſitat [5] turbatus potiſſimum inſolito Licicavikorum cognomine.

[1] Exſtat WITICHINDVS inter *Scriptores Rer. Germ. a* MEIBOMIO editos, locusque legitur *T. I. p. 660.*

[2] *T. I. Corporis Hiſtorici medii aevi.*

[3] *De Reb. Pol. L. III. p. 34. edit. Col.*

[4] *Repub. Pol. L. I. c. 1.*

[5] *De Reb. Sil. c. 6. §. 20. ſeq.*

§. XIV.

Polonos eſſe, ex ſitu gentis & Principis qui praefuit, nomine oſtenditur.

Nos, qui ex Terra Lazica Polonos deduximus, qui ſcimus eosdem ſua lingua Polacy vocari, minus hoc nomine, ab homine extraneo prolato, movemur, conabimurque & aliis perſuadere, Polonos intelligi. Referuntur autem Licicaviki inter Barbaros longius degentes, quae ſedes Polonis optime convenit, fuerunt enim, ſi Germaniam reſpicias, Slavorum orientem verſus fere ultimi. Sic

eos locat HELMOLDVS [z]: „Ad littus „Auſtrale (maris Balthici) Slavorum in„colunt nationes, quorum ab oriente „primi ſunt Ruzi, deinde Poloni, haben„tes a Septentrione Pruzos, ab auſtro „Bojemos, & eos qui dicuntur Morahi „atque Sorabi„. Et WITICHINDVS noſter, dum pagina citata, iterum Wigmannum Polonos bello aggreſſum tradit, eundem *ad orientem verſus*, *iterum ſe paganis immerſiſſe*, teſtatur. Miſca illorum Rex, eſt Polonorum Miesko ſeu Meſzka, ut appellant Polonorum vetuſtisſimi, KADLVBKO & BOGVPHALVS, a recentioribus Miecislaus dictus, qui illius nominis primus, genti ſuae eo tempore praefuit. A ſcriptoribus Germanis varie hoc vocabulum effertur, ut Miſico, Miſeco, Miſica, Miſaca, Miſca dicatur.

[z] *Chron. Slavorum Lib. l. c. 1.*

§. XV.

Objectio ex Regio, qui tribuitur, titulo.

Duo tamen obſtare videntur: Miſcam Regem dici, ac ei fratrem, qui in acie periit, dari. Et ſcio, Miſcae ſeu Miecislao, Regis titulum non convenire, cum Poloniam Ducis aut Principis nomine rexerit, neque tamen ignoro, ſcriptores paulo antiquiores hoc diſcrimen parum obſer-

obſervare, ſed promiſcue Reges dicere, qui populo praefuerunt, licet illo titulo non uſi ſint. BOGVPHALVS ſemel iterumque citatus, Poloniam ſub eodem Miecislao, Regnum, & patrem ipſius, Regem appellat [1]. IOANNIS cujusdam vetus Chronicon [2], eundem Principem Regem nominat, ac iterum, Meſiconem I. Regem Poloniae, Chriſtianum obiiſſe teſtatur. Duobus his domeſticis, totidem jungamus exteros, HELMOLDVM & ADEMARVM, Monachum Engolismenſem. Illi Boleslaus I. Chriſtianiſſimus Polonorum Rex [3]; huic idem Boleslaus Sclavaniae Rex audit [4]. Uterque de temporibus Ottonis III. Caeſaris loquitur: & conſtat, Boleslaum demum ſub Conrado Salico, Regium titulum ſibi vindicaſſe [5]. Neque omittendus WITICHINDVS noſter, qui allegata a nobis pagina, Boleslaum, Bohemiae Ducem, Regem dicit.

[1] *p. 24. Tom. II. Scriptor. Rerum Sileſ.*

[2] Primum illud occupat locum, inter Generoſi de SOMMERSBERG *Script. Rer. Sileſ.* & legitur locus *T. I. p. 4.*

[3] HELMOLDVS *Chron. Slav. L. I. c. 15.* Eodem tempore Bolizlaus Polonorum Chriſtianiſſimus Rex, confoederatus cum Ottone tertio, omnem Slaviam, quae eſt ultra Oderam, tributis ſubjecit.

[4] ADAMARUS apud LABBEUM *Bibl. MS. T. II. p. 168.* Rex Sclavaniae nomine Boleslaus, quem ipſe S. Albertus baptizaverat, datis magnis muneribus, caput & cadaver (Adalberti) excepit.

[5] Vid. DISSERT. noſtra *de Boleslao I.* quae habetur BIBL. POL. *Part. II. p. 147.*

§. XVI.

Altera objectio, quod eidem frater tribuatur.

Facilius forſan, ad Regium titulum reſpondere, quam fratrem probare, cum ſi patrios ſcriptores audias, neque Miecislaus fratrem, neque Zemovitus pater, praeter Miecislaum filium noverit. Verum WITICHINDI confidimus teſtimonio, qui quod eadem qua Miecislaus aetate vixit, domeſticis non uno ſaeculo recentioribus, praeferri meretur. Juvat DITMARI MERSEBURGENSIS auctoritas, pariter Miecislai fratrem, ab illo tamen, quem Wigmannus interfecit, diverſum, ac Cideburum vocatum, memorantis: qui minus ab eodem ignorari poterat, quod pater, Sigefridus Comes, virtutem ejus non ſine gravi ſuorum clade, olim expertus fuerat [1]. Quod ab ANNALISTA SAXONE, ad annum 972. repetitum legimus [2]. Haec ſi quis paulo accuratius expendet, ſimulque ad animum revo-

revocabit, Polonos ſcriptores, & poſt Miecislaum, in referenda Principum ſuorum progenie, erraſſe ſaepius, minus nobis vitio vertet, quod vetuſtiorum conſenſum ſecuti, fratres Miecislao tribuimus, quorum unum a Wigmanno interfectum, cum WITICHINDO merito affirmamus. Nimia ergo HANKII [3] fuit facilitas, quem hic *Corbejenſis* & *Polonorum* diſſenſus permovit, ut crederet, Miecislaum a Miecislao eſſe diverſum.

[1] *Scriptor. Rerum Brunſv. T. I. p. 337.* Udo venerabilis Marchio, Miſeconem Imperatori fidelem, tributumque usque Varta fluvium ſolventem, exercitu petivit collecto. Ad cujus auxilium pater meus (Ditmari), Comes Sigefridus, tunc juvenis, nec dumque conjugali ſociatus amori venit ſolum cum ſuis, & in die Sancti Joannis Baptiſtae adverſus eum pugnantes primoque vincentes, a fratre ejusdem Ciduburo, exceptis tantum Comitibus praefatis, omnes optimi milites interfecti, oppetierunt in loco qui vocatur Cidini.

[2] *Tom. I. Scriptorum medii aevi* ECCARDI *p. 322.*

[3] *De Reb. Sileſ. c. 6. p. 109.*

§. XVII.

Uberior ſententiae probatio.

Verſibus aliquot interjectis, redit ad Licicavikorum Principem WITICHIN-

DVS [1], & novos characteres ex quibus noſcatur, adfert, Imperatoris amicum, & Boleslai Regis Bohemorum generum, appellando. Utrumque Miecislao Polono convenit. Fuit is Imperatoris amicus, eidemque fidelis [2], cui & Marchioni Udoni, poſt atrox praelium Caeſarem inducias impoſuiſſe, ſi ambo ipſius gratia gaudere vellent, legimus [3]. Inde Miecislaus adverſus Bohemiae Ducem, Caeſaris auxilio adjutus [4]: & graviter queritur DITMARVS [5], filium Boleslaum, diverſum a patre induiſſe animum, cum ille ſua obſervantia, inclytus Poloniorum Dux appellari meruerit [6]. Praeter hanc, quam Caeſari praeſtitit amicitiam, affinitate Boleslao Bohemo junctus erat, cujus filiam Dambrovcam duxiſſe, non minus exteri quam patrii ſcriptores, uno fere ore teſtantur. Notandus tamen ANNALISTA SAXO [7], quod perperam WITICHINDVM legendo, non generum, ſed ex genere Boleslai Miecislaum ſcripſerit. CROMERVS, qui perſtat in ſententia, Licicávikos non eſſe Polonos, duos Boleslaos, duas filias, duos generos eosdemque Miecislaos format [8], ac ſic, indulgendo nimis ingenio, fidem potius negat hiſtoriae, quam ut eam rite interpretetur.

[1] *Pagi-*

[1] *Pagina 660.* supra allegata, ubi sequentia legimus: Wigmannus egit cum Sclavis qui dicuntur Vuloini, quomodo Misicam amicum Imperatoris lacesseret, quod eum minime latuit, qui misit ad Boluzlaum Regem Bohemorum, gener enim ipsius erat, accepitque ab eo equitum duas acies.

[2] DITMARVS *Leibnitii p. 337.*

[3] DITMARVS *l. c.*

[4] DITMARVS *p. 349. 350.*

[5] *p. 367.* oblita sui genitoris regula, inquiens.

[6] DITMARVS *p. 359.*

[7] *p. 313. Tom. I. Scriptorum* ECCARDI. Misit (Misica) ad Bolizlaum Regem Boëmicorum, ex genere enim ipsius erat.

[8] *De Reb. Pol. L. III. p. 34. edit. Col.*


§. XVIII.

Polonos & recentiori aetate Lachos dici.

Satis vindicata credimus, Miecislao Polono, quae de Licicavikis illorumque Duce leguntur, ac praestitisse nos, quae in opusculi limine, facturos fidem dederamus. Poterunt jam videri Lazi Polonorum majores, & Lazica terra, antiqua illorum patria. Addimus in fine CROMERI testimonium, Russos & Moschos, gentem nostram

non Polonos neque Polacos, verum Lachos in illum usque diem vocaſſe [1]. Refert quidem graviſſimus Praeſul nominationis cauſam ad Lechum ſuum; ſed quid ſi in eadem Lazorum memoriam ſervari ſtatueremus? ſaltem gentem allegamus, quae revera extitit, quod num de Lecho aſſeri poſſit, nondum probarunt ii, qui fide recentiorum abrepti, ſolo aſſenſu partes tuentur.

[1] *L. I. p. 16.*



INDEX I. AVCTORVM.



Jo. Georg. ECCARDI Corpus historicum medii aevi T. II. Lipſ. 1723. f.
Entwurf der Campagnen Carl des XII. (Expeditiones militares Caroli XII.) Lunden 1716. 8.
Europäiſche Fama (Fama Europaea.)

Falſitas narrationis de electione Stanislai.
Andr. Maxim. FREDRO Geſta populi Poloni ſub Henrico Valeſio. Dant. 1652. 4.

Ant. Mar. GRATIANI Vita Commendonii Paris. 1669. 4.

Chriſt. Hartknoch Preußiſche Kirchen-Hiſtorie (Hiſtoria Eccleſiaſtica Pruſſiae) Franckf. 1686. 4.
Reinh. HEIDENSTEIN Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti Lib. XII. Francof. 1672. f.
Sal. Henning Liefländiſche Chronica (Chronicon Livoniae) Leipz. 1594. f.
Jo. HERBVRTI Statuta Regni Poloniae Samoſc. 1597. f.

Jo. JANVSZOWSKIEGO Statuta w Krak. 1600. f.
INNOCENTII III. Epiſtolae Tomi II. ex edit. Steph. Baluzii. Paris 1682. f.

Vinc. KADLVBKONIS Hiſtoria Polonica in Dlugoſſi Tomo II. p. 593.
Chriſt. Kelchs Liefländiſche Hiſtorie (Hiſtoria Livoniae) Rudolſt. 1695. 4.
Frantz Chriſt. Khevenhüllers Annales Ferdinandei (germ.) vol. X. Leipz. 1721. f.
Stan. KOBIERZYCII Hiſtoria Vladislai, Poloniae & Sueciae Principis. Dant. 1655. 4.
Ejusdem Obſidio clari montis Czenſtochovienſis. Dant. 1659. 4. +

Veſpaſ.

Jo. Petr. LVDEVIGII Novum volumen Scriptorum Rerum Germanicarum Tom. II. Franc. 1718. f.
Ejusd. Reliquiae manuſcriptorum omnis aevi diplomatum T. XII. Franc. 1720. ſ. 8.
Jo. Chr. Lunig Schauplatz des Europäiſchen Hoff- und Cantzelley-Ceremoniels (Theatrum ceremoniale) Tomi III. Leipz. 1719. f.

Henr. MEIBOMII Scriptores rer. Germ. T. III. Helmſt. 1688. f.
MEMOIRES ſur les dernieres revolutions de la Pologne (Commentarii de ultimis motibus) a Rott. 1710. 8.
Jo. Burc. MENCKENII Scriptores rerum German. Tomi III. Lipſ. 1729. f.
Monachus BRVNVILLERENSIS Tom. I. Script. Brunſuicenſ. Leibnitii p. 313.
- - HERVELDENSIS T. I. Script. rer. Germ. Schardii p. 369.
Jac. du MONT Nouveau recueil de Traitez (nova collectio foederum) Tom. II. a Amſt. 1710. 12.
Huld. MVTII Chronicon T. II. Script. rerum Germ. Piſtorii p. 609.

Battiſta NANI Hiſtoria della Republica Veneta part. II. (Hiſtoria Reipubl. Venetae) in Venet. 1686. 4.
Sal. NEVGEBAVERI Hiſtoria rerum Polon. Hanov. 1618. 4.
Neue Europäiſche Fama (Nova Fama Europaea).

OTTONIS Friſingenſis Chronicon. part. I. p. 1. Script. rerum Germ. Urſtiſii.
Stan. ORICHOVII Annales T. II. Dlugoſſi.

PARTHENAY Hiſtoire de Pologne ſous le regne d'Auguſte II. (Hiſtoria Auguſti II.) Tom. IV. a la Haye 1733. 12.
Joach. PASTORII Hiſtoria Polona plenior Dant. 1685. 8.
Ejusd. Bellum Scythico-Coſacicum Dant. 1652. 4.

Jo. Demet. SVLICOVII Comment. Rerum Polon. a morte Sigismundi Augusti Dant. 1647. 4.

W. THEYLS Memoires pour servir a l'histoire de Charles XII. (Commentar. ad historiam Caroli XII. pertinentes) a Leyde 1722. 8.

Traité de Paix entre le Roy, l'Empereur & l'Empire. Svivant la copie de Paris 1739. (Tractatus pacis inter R. Galliae & Imperatorem &c.)

Bern. VAPOVII fragmentum Cromero in edit. Colon. 1589. adjectum.

VITA S. Ottonis Bambergensis Tom. I. Scriptor. German. Ludevigii p. 632.

Christ. VRSTISII Germaniae historicorum illustrium Tom. unus partes II. Franc. 1585. f.

Eber. WASSENBERGII Gestorum Vladislai IV. Partes II. Ged. 1643. 4.

Ejusd. Joannis Casimiri carcer Gallicus Ged. 1644. 4.

WIPPONIS Vita Conradi Salici Tom. III. Scriptorum rerum Germ. Pistorii p. 459.

WITICHINDVS Monachus Corbejensis. Tom. I. Script. Germ. Meibomii p. 620.

And. Chrys. ZALVSKI Epistolae Historico-familiares Tomi III. Brunsb. 1709. f.

Casim. ZAVADZKI Historia arcana 1699. 4.

Jac. Henr. **Zerneke** das bekriegte Thorn (Thorunium oppugnatum) Thorn 1712. 4.

Ejusdem Thornische Chronica (Chronic. Thoruniense) Berlin 1727. 4.

J. Jac. **Zincke** Ruhe des itzt lebenden Europa (collectio foederum) part. IV. T. II. Cob. 1726. 4.

INDEX

INDEX II. RERVM.



A.

rum

Bona

C.

Cruci-

D.

G.

Glinscius

H.

Jablo-

I.

N.

O.

Pacta

P.

Q.

R.

S.

T.

am



Erratum insignius.

p. 369 l. 28. petitum lege vetitum.





